





QVOD BENE OMINATUM SIT:
DISSERTATIO JURIDICA

129

De

1647 2.

IVREIVRANDO,

8

CUM IN GENERE, TUM
IN SPECIE,

Jurp. XV

De

LITIS DECISORIO:

Quam

AUSPICE D. T. O. M.

PRÆSIDE

Viro Amplissimo & Consultissimo

DN. JOHANNES REBHAN, U. J. D.

ac in Celeberrima Argentoratensium Universitate
Professore publico, nec non p. t. Inclytæ Facultatis Juri-
dicæ DECANO Spectatissimo,

Publicæ Academicæ disquisitioni subjicit

M. JOHANNES MICHAEL SONNER
ELZACENSIS BRISGOIUS,

In Auditorio Jct.

Ad diem 18. (28.) Mensis Februarii.

ARGENTORATI

Typis FRIDERICI SPOOR.

M. DC. XLVII.



ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO,

DN. IOHANNI IACOBO

LE FEURE, de Cau Martin &c.

CHRISTIANISSIMI GALLIARUM

ET NAVARRÆ REGIS CONSILIARIO IN-

TIMO, NEC NON Eiusdem Reg. Maiest. per

HELVETIAM universam Legato meri-
tissimo, gravissimo,

DOMINO MEO plurimum gratiofo & benigno.



*O modernâ hominum malitiâ deven-
tū est, Illustrissime ac Excellentissime Domine,
ut contra omnem equitatis rationem, cum
amplius fides habenda sit, planè ignoretur: Sic
enim postrema testatorum voluntates iniquissimè celantur.
Pupillares rationes belli tumultib. interiisse finguntur. Debi-
ta amicissimè ante contracta pernegantur &c. idq. eò magis,
quò minus similes calumniantiū iniquitates manifestas red-
dere possibile est. Ne tamen, quia humanas cogitationes invicè
intueri naturam prohibuit, cum summo Reipublica detrimento
hisce perversorum malitiis indulgeatur, subtili profectò reme-
dio, JUREIURANDO videlicet, opus erat, quo infallibili Divini
Numinis (cui nota sunt corda omnium, Act. 1.) veritate inte-
stimonium adductâ, aut religionis veneratione, aut certè Di-
vine ultionis metu percussus quisque animum suum aperire
cogeretur: ut sic venustissimè à Gell. lib. 16. cap. 7. aris alieni
ἐμπλασθόν, quin & à Jcto Gaio maximum litium expedienda-
rum remedium jusjurandum appelletur. Cuius rei quò maior
in scho-*

in scholis disceptatio, atque in foro apparet utilitas, eò me fa-
 cilius ad presentis huius Dissertationis conscriptionem per-
 movit; ut quidem etiam in Germania postremum studiorum
 Specimen, iisdem in Galliâ Deo annuente, finem impositurus,
 exhiberem, atque insuper Illustrissimæ ac Excellentissimæ
 Tuæ Dominationi submissum Vale dicerem. Neq; enim du-
 bites memori adhuc mente jacere reconditum favorem illum
 maximum & gratiam, quibus me tribus abhinc annis, cum
 venerandum meum Dn. Patruum, R. P. Felicianum, tunc
 temporis RR. PP. Capucinorum Solodori Guardianum meri-
 tissimè agentem visitassem, patrocinio admodum venerandi
 P. Rudolphi, p. t. Definitoris & in eadem Solodorensium Fami-
 lia Guardiani, nec non acutissimi Philosophiæ Lectoris officium
 exequentis, citra ullum præcedens meritum adfecisti. Sanè
 cum Iustitiæ summa cum æquitate acerrimus sis propugnator,
 uti se adlocupletissimum testimonium offert honestissima vitæ
 Tuæ ratio, quâ semotâ ullius læsione, cuiq; quod suū est, æquissi-
 mè attribuis; rectissimè facturum me existimavi, si adum-
 brandæ justitiæ exemplum, præsentè videlicet dissertationem
 Illustrissimæ & Excellentissimæ Dominationi Tuæ offer-
 rem. Cuius quidem rei aggressum, cum temeritatis quan-
 dam præseferret speciem, de memet, ut nec debuissim, præsu-
 mere nequaquam potuissim, si dignè memoratus admodum
 R. P. Rudolphus plurimū apud Te valente suo mihi patrocinio
 iteratò non astitisset. Et sanè non parū insuper considerare me
 oportuit, de mirabili Tua humanitate (ceteras enim præclaris-
 simas Tuas virtutes qui stam angustis paginis enarret?) quâ
 tot populorum, (quin & insuetos hæctenus) animos luculento
 summæ prudentiæ argumento in te adeò convertis, ut mirum
 videri nemini debeat, de Christianissimo Tuo Rege, regnoq;
 universo optimè meritum, atque, in exteris etiam terris am-
 plissimis Te honoribus dignissimum prædicari. Patere igitur
 me,

me, Illustrissime ac Excellentissime Domine, *immaturum*
hoc, è tam spatioso iuris prudentia campo collectum spicilegium
unde messem in posterum spero futuram, Illustrissimo tuo
Nomini adscribere, splendoris sui claritate id ipsum ita illu-
straturo, ut iniquis Zoilorum oculis æquissimam disgregatio-
nem offundat. Quod si illustrissima ac Excellentissima tua
Dominatio gratiam, me sibi benè commendatum habendi,
non denegatura, gracilem hunc ingenio li partum, eo quo offer-
tur affectu vultuque sereno susceperit, tanto me de novo favo-
ris genere sibi tenebit devinctum, cuius memoria & mihi,
& dilectis meis parentibus cum humillimis nostris obsequiis
merito perpetua sit futura. Vive, vale, & amare dignare

Illustrissimæ ac Excellentissimæ Domi-
nationis Tuæ

Devotissimum

M. JOAN. MICHAEL: SONNER
A. & R.

*In Nomine Domini nostri
Iesu Christi.*

PRO O E M I U M.



Anctam & Venerandam Juris-Jurandi Religionem in conspicuo, juvante Deo, thesibus subsequens ponam & ostendam, eam legitimum & necessarium litium finiendarum remedium esse. *Hebr. 6. vers. 16. l. 1. ff. de jurejur. efficacissimarum virium, fructusque certi, si eadem venerando, veritatis scilicet, justitiæ, & judicij comitatu circumdata.* Sanè sunt duo maleferiatorum hominum genera, quorū hucusq; inquinata fuit spurcitie tam impietatis, nimium scilicet ad jurandum faciliū ac intrepidorum quæcunq; altaria tangentium, quàm superstitionis, nempe nimium timidorum, qui divini Numinis metu, sive, ut Imperat. noster eos describit, *in l. cum quidam. 21. C. de fid. instrument.* qui subtili divini Numinis reverentiâ tenti, ne verum quidem Sacramentum præstare audent. Vtrique tot sequioribus nominibus, ex incommodis, quæ civili societati afferunt, famosi, & reprehendendi. Certè de istis non hîc attinet dicere, quos ipsa etiam Divina Nemesis execratur & persequitur. *Zach. 5. Malach. 3. l. 2. C. de reb. cred. & jurejur.* Illos verò minor, & rimor, qui in dubium vocant: Homini Christiano jurare licere? Siquidem tantò minùs, in veritatis testimonium juramenti præstatio à Deo prohibetur, quantò magis ab ipso ea percipitur, & jurandi formula præscribitur. *Levit. 19. vers. 12. Deut. 6. vers. 13. & 10. v. 30. servies Deo Domino tuo, & per Nomen ejus jurabis.* Pertinet enim jusjurandum suo modo ad venerationem & cultum Dei, quatenus infallibilem veritatem & justitiam ejus per juramentum confitemur & testamur. Vnde & inter reconciliationis cum Deo remedia recensetur. *Ierem. 4. vers. 2. jurabis: vivit Dominus in veritate, in judicio & in justitia. 2. Corinth. 1. vers. 23. Testem Deo invoco. Thom. de Aquin. 2. 2. q. 89. præmiaq; legitimè jurantium & falsi juriorum pœnæ*

A hinc

hinc inde notantur. 2. Sam. 12. 1. Reg. 2. Zach. 5. Malach. 3. Vnde præceptum hoc tam in jure civili, quam canonico accuratè repetitur, in Decreto & tot. tit. Ext. & in 6. Decretali. Item in Clement. de jurejurand. 10. tit. ff. de jurejur. & C. de reb. cred. & jurejur. 2. Feud. 5. Ipse etiam Deus per semetipsum jurat, promissumque Abrahamo factum juramento firmavit & sanctificavit. Ezech. 33. Esa. 45. atque Angeli jurare non sunt veriti. Apocal. 5. vers. 10. Nec Pij Imperatores ac Electores Imperij Romani juramentis se constringi recusant. Aurea Bulla cap. 2. Certè in scirpo nodum quærunt, qui Salvatorem nostrum Christum Jesum. Matth. 5. & ex eo Jacobum Apost. in Epistola sua cap. vltim. vers. 12. huic derogasse opinantur. ibi: dico vobis, non jurare omninò: sed sit sermo vester est, est, non, non, quod autem his abundantius est, à malo est. Nec enim Christus d. l. Universaliter & simpliciter prohibet, omninò non jurare, sed tantùm secundùm quid, non omninò jurare, hoc est, non temerariè & qualibet levi de causa, aut quolibet modo. Id quod vel ex ipsa negativa, signo universali affirmativo præposita, non omnis, quæ æquipollet particulari, quidam non, inter cætera apparet, refutat etiam ipsum jurantis Christi exemplum. Ioh. 6. Temeraria itaque, impia & non necessaria juramenta, quæ sine Magistratus mandato, nec vocatione urgente, ructuosi Spiritus, malo more, turpissimè evomunt, loquuntur, & illa prohibet secundum normam Præcepti 2. Decalogi, & rationem ab Ecclesiast. cap. 23, vers. 8. & 12. notatam. Conferatur Can. Non est. & seq. 22. quest. 1. c. etsi Christus 26. Ext. de jurejur. Vtinam populus Christianus tantam inter se foveret charitatem & concordiam, ut planè nullæ inter eos lites, nec hoc remedio ultimo finiendarum litium opus esset. Verùm uti post lapsum Protoplastorum mens hominum ad malum, ad fallacias, inclinat, usus & necessitas exegere, his conscientia vinculis salutis publicæ & tranquillitatis columnas constringere & rectas servare. Sed & hos linquo. Videantur interim hac de controversia Covarr. in c. quamvis. p. 1. relect. §. 6. num. 1. de pactis in 6. Pet. Gregor. in Syntag. jur. cap. 3. Besold. 3. delib. jur. 12. ff. 2. q. 1. Borchold. ad tit. de jurejur. cap. 1. Nunc ad tractationem ipsam, cum bono Deo, progredior.

CAP. I.

De Definitione Nominis.

§. I.

Ubet lex Methodi, ut prius, quam specialem juramentorum tractationem aggrediar, generalia circa definitionem & divisionem jurisjurandi præmittam. Definitio vel est Nominis, vel Rei: illa consistit in Etymologia, Synonymia & Homonymia. In quibus exponendis tantò brevior ero, quantò longius ab ista circa vocabula disceptandi pertinaciâ absum. Et in primis per me cuilibet licet esse ingenioso, unde jusjurandum vel juramentum derivatum malit, hocque utrum à Vero, secundum *Cypr. tr. de sponsal. cap. 4. §. 26. num. 2.* Vel à jure mentis, quasi in mente obligatio oriatur, an à jure manente derivetur? Videatur *Hillig. 24. D. E. 13. lit. d.* Vel cum *Panorm. ad rubr. de jurejur.* quod juris ad stringamentum dicatur. Illud verò an à Jove, quod Jovis jurandum, quâ voce Veteres pro jurejurando usos. post *Lips. 1. Elect. 18.* docet *Scipio Gentil. in tract. de Origin. quest. 268.* *Becman. de origin. lit. I. vocabulo Iuno.* an à jure, & quidem quod vel justum tantum jurari liceat. *C. I. A. 12. ff. 2. th. 1.* vel quod ita assertum aut promissum, veluti jus quoddam sanctè observetur & legis instar habeatur. Quam inter Doctores potior arbitror, quod fundamentum suum in jure habeat. *arg. l. 5. §. 2. ff. de jurejur. Dom. Soto §. de justitia & jure quest. 1. art. 1.* quemadmodum & illam juramenti, quæ à jurando simpliciter deducitur. *Hillig. d. l.* Sic non moror *Hostiens. in sum. rubr. de jurejur.* existimantem convenientius dici, factum vel jusjuratum, quod scilicet, super facto, vel jure juranti competente juretur. Nam hîc jus non ad differentiam facti, sed pro Religione, tam super facto, quam jure, jurandâ, ponitur. Et jurandum dicitur, non juratum, quod hîc, qualiter jurari debeat, non quomodo juratum esse oporteat, agatur. *Azo. in sum. C. de reb. cred. circa pr.*

§. 2. SYNONYMIAM, quod spectat, dicitur jusjurandum etiam juramentum. *l. 1. in pr. C. de jurejur. propter calum. l. pen. in pr. C. de reb. cred. & jurejur.* Quamvis *Sezer. de juramentis. lib. 1. c. 1. n. 3.* *Bocer. cl. 5. disp. 8. th. 2.* hæc duo vocabula Veteres Jctos hætenus

A 2

Etenus

Stenùs distinxisse, quod jusjurandum sit de re controversa. *to. tit. ff. de jurejur.* juramentum verò de re non controversa, arbitrentur. Verùm cum & *Vlpianus ICTus in l. 34. §. 5. ff. de jurejur.* & *Paulus ICTus in l. 25. §. 3. ff. de probat.* hac juramenti voce, æquè ac jurisjurandi utantur, vix est, ut hoc mihi patiar persuaderi, minùs illud, vocem juramenti *dd. ll. non Jctorum laudatorum, sed Triboniani esse. Conferatur Cujac. 3. quasi. Pauli ad l. 25. C. I. A. d. l. th. 2.* Nuncupatur etiam Sacramentum. *per l. si quis. ii. cum seqq. C. de reb. cred. authent. sacramenta puber. C. si advers. vend.* Quamvis & hoc *Gomez. ad §. item si quis. num. 1. institut. de action.* ita distinguat, ut Sacramentum dicatur, quando super re sacrâ juratum. Subtiliùs certè, quàm veriùs. *arg. d. l. ii.* Item Religionis appellatione jusjurandum non rarò significatur. *l. 25. ff. de jurejur. Pacius ad rubr. C. de reb. cred. num. fin. rationem videre licet in C. I. A. d. l. th. 2.* Quamvis interdum, *ut in l. i. ff. de jurejur. l. 2. C. de reb. cred.* hæc duo, *jusjurandum & religio* ita conjungantur, ut in vicem separentur. Id quod respectu diversitas causat. *Anton. Faber. in ration. ad d. l. i. ff. de jurejur.* Item etiam de juri voce pro jure jurando utitur. *A. Gell. 7. N. A. 18. Videatur Borchold. ad tit. ff. de jurejur. cap. 1. num. 8. & seqq. & post illum. C. I. A. d. l. Nobis Germanis jusjurand. dicitur ein Eyd / quod vocabulum unde derivetur, ludit variis coniecturis Besold. in Thes. pract. lit. a. vocabulo Eyd. Hillig. d. l.*

§. 3. Cæterùm hoc loco per jurare & jusjurandum non illam improbam, temerariam & perversam blasphemandi, imprecandi, devovendi & divinum nomen obtestandi assuetudinem (quæ novissimis hisce diebus, ut aqua in interiora profani vulgi *Psal. 109.* ad alterum penè verbum in quotidiano familiari sermone sanie hanc eructantis, intravit, atque tum in Deum, hominesque nefariè sic facit, quærit cum jurisjurandi Religione eam confundere:) sed divini Nominis reverendam invocationem, ut ex definitione subjecta, modo liquebit, intelligimus.

C A P U T. II.

De Definitione Rei.

§. 1.

Jusjurandum variè à varijs definitur. à *Cujac. ad c. Etsi 26. Ext. de jurejur.* Religiosa veritatis confirmatio: atque hanc dicit ibidem sibi præo-

præ omnibus probari. Quæ tamen *Hilleg. d.l. lit.b.* minimè proba videtur. *P. Gregor. 5. syntagm. 4. num. 1.* describit affirmationem vel negationem sacrae rei attestazione firmatam. *Covarruv. in c. quamvis. 2. de pactis in 6. quest. 1. relect. pr. n. 1.* definit: quod sit invocatio Divini Numinis in testimonium: quæ eadem cum illa, quam *Wesembec. in π. ff. de jurejur. num. 2.* proponit, esse videtur. Alias aliorum plures & varias definitiones videre licet apud *Iacob. Ebert. Tract. de jurament. c. de definit.* quarum quædam definito latiores, quædam verò angustiores, ad certam tantùm juramenti speciem restrictæ sunt: aliæ imperfectione laborant. Tutior mihi videor, si cum communi *Dd. scholâ transeam* & in genere jusjurandum definiam: quod sit affirmatio religiosa. Ita enim *ex Cicerone 3. off. cap. fin. definit Duaren. in Comment. de jurejur. cap. 1. Treutl. 1. 21. th. 1. lit. a. & ibi Hunn. Bachov. Oldendorp. cl. 1. act. 9. Vult. discept. Scholast. 7. Hilleg. d.l. Borchold. ad tit. de jurejur. cap. 1. th. 14. Cypr. tr. de sponsal. c. 14. §. 25. th. 1. & alij.*

§. 2. Et quidem recte definitur AFFIRMATIO, nam jusjurandum non ludit verbis, non ambiguè loquitur, non in cortice verborum hæret, nec linguam tantum jurantem, mentè verò injuratam habet, *ex Eurip. Cicer. d.l. sed semper seridè & sanctè, verbis ad mentem cui juratur conceptis affirmat.* Hoc enim jurare est, nempe verùm dicere, hoc est, id, quod quis revera ita essenovit, etiam ita asserere, nihil addendo vel demendo, unde etiam *Comites hi tres jurijurando associantur, Veritas, Justitia & Judicium. cap. 26. X. de jurejur. Ierem. 4. v. 2.* Veritas ideò ut jurans clarè exprimat quid sentiat, non ambiguè, & fucata arte, ne alter decipiatur. *c. quacunq; 12. quest. 5. Justitia, ut quod juratur licitum sit & honestum. Judicium deniq; ut non temerè & præcipitanter, sed prævia consultatione & maturo judicio juret. Videatur. Covarruv. ad d. c. quamvis. p. 1. §. 6.* Negativè vel affirmativè positio, super quâ jurandum, concepta sit, nihil inter est, licet *Bachov. ad Treutl. d. l. nodum sibi metipsi solvendum, nectens, definitionem hanc exinde angustiozem esse suo definito, arguit.* Nam ut in subseqq. *ibid. rectè evolvit, aliud est jusjurandum, & aliud id super quo juratur: illud semper asserit, & Divinum Numen attestatur, etsi negativè super re quapiam proferatur & enunciatur. Cypr. de spons. 14. §. 25. num. 1. Fransk. in Comm. ff. de jurejur. n. 6. quemadmodum etiam aliàs in jure nostro positio affirmans, simul negantem*

tem implicitè comprehendit. *arg. §. 7. I. de V. O. gl. & Dd. ad l. 2. ff. de V. O. ubi verba dandi faciendi, continent non dandi, non faciendi. Hillig. 24. D. E. 13. cap. 5. lit. b.* Vtrum autem affirmatio talis verbis ore præcisè pronuntiatis fieri debeat? an verò æquivalens sit, nutu aut scripturâ, mente seriâ & jurante, præstetur? non eadem est Dd. opinio. Arbitror salvâ omnium reverentia & auctoritate, conceptionem quidem verborum cuius juramento propriam esse, at prolationem seu pronunciationem, quæ ore fit, non æquè necessariam, sed sufficere, si certò appareat, quempiam se juratò obstringi voluisse, mente Deum testem invocantem, atque externis signis ei, cui juramentum præbet, contestantem. *Hillig. d. 24. D. E. c. 5. lit. b. Bachov. ad Trentl. 1. 21. r. conferantur hac de controversia. Covarruv. in d. c. 2. de pactis. in 6. p. 1. pr. n. 5. Fachin. 3. controv. 8. Borchold. de jurejur. c. 1. n. 27. Wesenb. cons. 52. num. 18. Alciat. ad rubr. de jurejur. num. 13. Gædd. de contrah. & committ. Stip. in prolegom. n. 16.*

§. 3. Dicitur II. RELIGIOSA, h. e. quæ per rem sacram, quæque religionem ingerere potis est, expeditur & firmatur. Hac enim jurisjurandi propriè sic dicti forma est. *Fransk. in comment. ff. jurejur. num. 12.* Hæque sunt partes, invocatio Numinis, & imprecatio nostri. *Wesenb. in π ff. de jurejur. num. 3.* sed hæc, licet non exprimat, tamen sub Numinis invocatione continetur, ita ut hæc sola sufficiat. *Wesenb. d. l. num. 6. cum, qui jurat, eo ipso se q. sacrare intelligatur. Duaren. tit. de jurejur. cap. 1. & uti per Religionem Deo religatur sive obligatur; ita etiam per jusjurandum, seu cuius contemptus æquè Deum ultorem habet. l. 2. C. de reb. cred. præsertim si formula jurandi usu communi recepta & probata sit. Wesenb. d. l. num. 6.* sola autem sui execratio invocationem Deinon præsupponit, nec per se valet, *Videatur Hillig. d. l. cap. 13. lit. f. Fransk. d. l. num. 33.*

§. 4. Aliàs in conspicuo est, in deferendo & præstando jurejurando non tantum apud Veteres Gentiles sed etiam inter Christianos, non eadem semper observatam fuisse rationem, atq; homines vel verbis ab ipso deferente, aut Judice conceptis (uti enim deferabatur, ita jurari oportebat. *l. 3. §. vlt. ff. jurejur.*) aut certis solemnibusq; formulis rituq; receptis, jurasse. Istorum quidem, ipsis suis inhorrescentes tenebris, præcipuæ & sanctiores fuere: Per Jovem lapidem, (de cujus solemnitate & ritu videri potest. *Revard. 5. var. 5. Wesenb. d. l. n. 6.* per Herculem, per Castorem, per Pollucem, etiam per Solem, Lunam, Ignem, Aquâ, Flumi.

Flumina patria, imò per Defunctos quoque, per Cineres majorum
 per Allium denique & cœpas, & quæ non? miseri! Elementa no-
 verunt, conditorem ignorarunt. Jurarunt per superos, cœli verò
 Dominum injuriâ affecerunt. Consuli de istis possunt. *Plaut. in Am-
 phytr. act. 3. sc. 2.* & ibi *Taubman. Juvenal. satyr. 13. Agell. l. N. A. 21. Cu-
 jac. 1. observ. 21. Oldendorp. class. 1. act. 9. Rauchbar. 2. q. 2. P. Gregor. 5.
 syntag. jur. 8. Reverd. 5. var. 5. Vult. ad §. 11. 1. de Action. Wesenb. in
 π. d. l. n. 6.* Inter Christianos priorum præsertim sæculorum, quæ fue-
 re jurandi formulæ, superbū esset, utin re notissima, exempla addu-
 cere, scitentibus etiã nū & Canonibus & legibus sequioribus tali-
 bus formulis & ritibus, per Principis Majestatem, genium (quod
 Carolus Magn. Imperat. demùm prohibuisse, fertur. *Fransk. d. l. n. 13.*)
 per caput, vitam, salutem Principis, jurantis, hujusque Filiorum, &
 per alia plura. Videatur *l. 13. §. fin. l. 33. ff. de jurejur. l. 2. C. eod. Nov. 8.
 in append. tactis Sanctorum reliquijs. can. habemus 22. quest. 1. manu-
 ve Evangeliorum libro impositâ. l. nemo 20. l. de creationibus. 27. C.
 de Episc. aud. l. 14. §. 1. C. de judicijs. l. 2. C. de jurejur. propter calum.
 can. testimonium 11. q. 1. can. quoties 1. q. 7.* quem ritum etiam Carolus
 IV. Imp. in *A. B. c. 2.* Principibus Electoribus electuris Regem Rom.
 observandam præscripsit, hoc quidem jurantium discrimine, ut Ele-
 ctiores seculares jurent sacrosanctis Evangelijs reverenter tactis, Ec-
 clesiastici verò Electores propositis tantùm SS. Evangelijs & manu-
 pectori admotâ. Cuius discriminis rationem, an acu tetigerit Dua-
 ren. in *comm. ad tit. de jurejur.* penes alios esto iudicium. Ita veneran-
 da alioquin vetustas quo ad illicitas juramentorum formulas, sanctæ
 simplicitatis semina vanæ superstitionis *σκυβαλῶν* inquinavit, quæ
 etiam in hæc usque sæcula, omni doctrinæ genere licet cultiora, con-
 servata, nondum penitus evannare licuit. Videantur *P. Greg. d. l.
 Borchold. de jurejur. cap. 1. num. 25. Hillig. d. 24. D. 2. 13. lit. e.*

§. 5. Sanè etiamnum hodiè non ubiq; eadem formulâ rituque utun-
 tur, ac potius quævis, modo non improbatæ Religionis sint, sed lici-
 tæ, h. e. verbo Dei, & bonis moribus consentaneæ, admittuntur. *l. 5.
 §. 3. ff. de jurejur.* Ita, ut licet inter cæteras hæc maximè legitima, licita
 & proba habeatur jurandi formula, quæ in nomine solius Dei omni-
 potētis concipitur. *Deut. 6. Exod. 23. Iudic. 11. l. 41. C. de transf. & quid-
 quid hoc est abundantius, malum reputandum. Matth. 5.* tamen nec
 illæ etiam formulæ penitus rejiciuntur, quibus licet expressè & ad
 litte-

literam nomen Dei non invocetur, respectu tamen Divini Numinis sequestrata omni impietate & superstitione, certo & tantum juratur. Covarruv. d. c. quamvis. de pactis in 6. §. 1. num. 16. Borchold. de jurejur. cap. 1. num. 36. Rauchbar. 2. quest. 2. Hillig. d. 24. D. 2. 13. cap. 5. lit. e. Fransk. d. l.

§. 6. Quemadmodum etiam illa jurandi formula communi statuum Imperij consensu recepta & in supremo tribunali retinetur, qua juratur. Als mir Gott helff / vnd sein heiliges Evangelium. ord. cam. Imp. p. 1. à T. 57. usque ad T. 81. Recept. Imp. Aug. Vindel. de Anno 1555. vnd dann dieweil. quam licet Wesenb. d. l. num. 6. si de verbo litterae accipiatur, sequiore nota notarit, pie tamen & mactè à macula hac vindicavit, ejusque probitatem adversus superstitiosum istum Wesenb. metum, asseruit. Fransk. d. l. num. 15. Nec enim Evangelium littera mortua, & nuda quantitas est, sed efficax, gladioque omni penetrabilior. Hebr. 4. Virtus Dei & tale instrumentum, quod simul vim salvificam habet, quodq; proficit in salutem & vitam æternam, qui in illud credunt. Rom. 1. vers. 16. 1. Corinth. 1. vers. 18. ut ita sine sacrilegij crimine cum Deo, ceu causâ suâ principali, licetò conjungi possit.

§. 7. Atq; ex his quoque, quid sentiendum de illis formulis, bey Fürstlichen / Gräfflichen / Adelichen / bey meinen Trewen vnd Glauben / Item bey meinem Andt. &c. an juramenta sint? satis abundeque apparet. Sunt quidem qui talia esse statuunt, quibus etiam ipsa Germaniæ consuetudo suffragari videtur, testantibus Schurff. 1. conf. 37. num. 11. Wesenb. 1. conf. 10. num. 24. & conf. 52. num. 19. & 3. conf. 131. num. 49. Curt. Jun. conf. 288. num. 16. Corthmann. 1. respons. Academ. 19. num. 123. Myns. observ. 17. & ibi Reyger. in addit. ubi quotidie ita praticari dicit. Gail. 2. observ. 59. num. 1. Graven. 2. conclus. pract. 19. n. 18. & ibi alleg. H. Hartm. 29. observ. 3. Beust. ad l. 3. §. ultim. de jurejur. Coler. de process. Exec. par. 1. cap. 10. Rauchbar. 1. §. 34. Wehner. in observ. practic. verbo. bey Glauben vnd Trewen. p. mihi 55. & alleg. Verum tales promissiones formale juramentum nec esse nec absolute referre, tradunt Covarruv. d. c. quamvis §. 2. n. 4. Hillig. d. l. cap. 5. lit. e, Bachov. Hunn. ad Treutl. 1. 21. 1. Gutierrez ad athen. sacramenta puberum (si advers. Vend. num. 149. Speckhan. 1. quest. 4. Grav. s. all. l. quia essentiali jurisjurandi requisito, quod est ut fiat per rem sacram, carent, nihilque magis inferunt, quam si quis diceret: si-

ret: sicut ego fide dignus sum, aut haberi volo. *Consultat. const. Sax. p. 2. de contr. q. 31. in fin. ibi.* die Wort &c. haben keine fidei præstationem an sich, sollen und können auch nicht mehr dann schlechte promissiones, und zusagen wircken. *Nicol. Reufner. 4. decis. 12. num. 30. Berlich. p. 2. concl. pract. 21. num. 39. Modest. Pistor. 2. cons. 19. num. 53. & alij.* Arbitror tamen ἐπιεικίαν, qua ad conciliandas has cōtradictorias opinioniones, *Sezer. in tr. de juramentis. 1. cap. 16. num. 4. Besold. in Thes. pract. verb. Äydt. & delib. Iur. 12. ff. 2. quest. 6. Hartm. Pistor. 4. quest. 6. num. 3. Carpzov. in Iurispr. for. 2. constit. 36. defn. 9. num. 2. & seqq. & alij.* utuntur, ceu conscientijs benigniorem & æquiores non planè amputandam, qua distinguunt 1. inter casus, in quibus verum & solemne juramentum pro forma & ad substantiam actus necessariò requiritur, & in quibus hoc præcisè opus non est. 2. Inter fidem contractus, obligationisque firmitatem, ac reliquos jurisjurandi effectus, e. g. pœnã perjurij, absolutionem. &c. Et deniq; Inter Principem absolutum & eum, qui superiorem recognoscit. Ut enim, ubi lex aliquid pro forma præscribit, per æquipollens id impleri non potest. per vulgaria Juris. Ita negari non potest, quod si de firmitate sola & robore cōtractus quærat, ex promissione sub dignitatis splendore & fide facta, plurimū autoritatis atq; sanctitatis obligationi inde cōtractæ accedere, adeo, ut omnia illa, ad quæ quis aliàs ex cōtractu cui juramentum appositum est, devinctus tenetur, justè cogatur implere, non autem si contraveniat statim perjurij reus habeatur. *Hartm. Pistor. d. l.* atque hæcenus consuetudinè illam Germaniæ laudatã salvari posse, quæ aliàs nullo jure nec certitudine evidēte nititur. *conferatur. Recept. Deput. spira de anno 1600. §. 1. wann in cāner ver-schreibung. tradūt Carpz. d. l. n. 7. & defn. seq. Besold. d. del. jur. 12. ff. 2. q. 5. Speckhan. d. l. quest. 4.* In Principe denique absoluto, cum res redeat ad terminos veri juris naturalis & Divini, quo inter assertionem seriã simplicem & juratam subtilis, si quæ, differentia est, rectè verbum Principis habetur magnum Sacramentum. *Besold. d. l.*

8. Illam in specie ut notem formulam, an Äydtstatt/bey oder auff seinen Äydt/ an veri jurisjurandi rationem habeat: facit ipse, usus dicam ne an abusus? nimium pro dolor! hoc præsertim seculo frequens? Sunt qui per clausulam hanc potius jusjurandum & Religionis interpositionem quempiam evitare, quàm revera præstare voluisse, videri, statuunt. referam *Modest. Pistor. ex 2. Cons. 19. n. 59.*

B

verba

verba, quæ sunt : qui promisit loco juramenti, nihil aliud videtur promittere, quam se non minus firmiter observaturum contractum quam si jurasset. Videtur Ictus, ut pareat proborum conscientijs, aliquid perversorum malitiæ indulgere. Puto tamen non absurdè minus impiè distingui & dici posse, quod, si Judex aut Magistratus, autoritate publica & judicialiter quempiam jusserit bey seinem Aid/ bey gegebenem Handtrew / an Aides statt / quicquam, exempli gratia, testari, promittere, tunc respondens & asserens perjurij Reus fiat, si fefellerit aut contravenerit, æquè si quis sua sponte & ultrò fidè dictorum suorum verbis his constrinxerit, idque animo deliberato & intentione jurandi. Secus verò si quis inconsiderate atq; præcipitante & ad talia malè assueta lingua, temerè effutierit. Licet enim & hic peccet, attamen hæcenus jura connivent malis moribus tolerando, qui penitus tolli nequeunt. Conferatur *Besold. delibat. jur. d. l. & in thes. pract. d. l. Wehner. in obser. pract. d. l.*

§. 9. De Execrationibus (quæ ut supra diximus per se solæ, sine prævia invocatione Divini Numinis, nihil valent, nec in benè constitutis Dicasterijs attenduntur, exempli gratia, si juvenis puellæ diceret: Diabolus me abripiat, nisi te duxero, quod nullū esse juramentū Dd. uno ore consentiūt) hoc insuper addere placuit, Christianos se se meritò in concipiendis istis execrationum formulis moderari & intra terminos charitatis Christianæ continere debere. Illud enim certum est, qui perfidiam non timet formidine vindictæ Divinæ ubi simpliciter verbis conceptis Deum ultorem postulat. Is nec extimescet quascunque etiam inspecie enumeratas pœnas deferens addiderit & quibuscunq; execrationibus se devoverit, unde formula ista, qua, referente P. Petreio in *Chron. Musc. part. 2. p. 391.* Dominus Z. ad certum facinus perpetrandum ministrum suum. P. F. obligaverat, improbatæ Religionis meritò habetur & Republ. Christiana exulare jubetur, referam, pace bonorum, horrendas voces: Ich P. F. schwöre bey der heil. vnd zu allen zeiten hochgelobten Dreyfaltigkeit/ bey Gott dem ewigen Vatter / Gott Sohn / vnd Gott dem heiligen Geist / daß ich &c. thun will / vnd wo ich das nicht thue / sondern meinen Gnädigen Herren N. vmb das Gelt betriegen würde / so will ich / meines antheils am Himmelreich ewig verlohren / vnd Gott der ewige Vatter / soll mir in ewig wehrende Ewigkeit nimmer gnädig noch barmhertzig sein / das thewere Verdienst Jesu Christi des Sohns Gottes
tes vno

tes vnfers Heylands / soll an mir vmbsonst vnd vergeben sein / der heilig
Geist / soll mit seiner Krafft vnd Würckung von mir weichen / vnd mit
einigem Trost mir in Ewigkeit nicht beywohnen / die dienstbare heilige
Geister / die auff mich vnd alle Christen bescheiden / sollen ihr Ampt an
vnd bey mir nicht verwalten / die Elementa, mir vnd allen Menschen
zu Nutz geschaffen / sollen mir zuwider sein / die Erde soll mich lebendig
zur Hölle verschlingen / alle Erdengewächs / vnd Speisse / sollen mich
nimmer nehren / sondern ein Gift sein / vnd ich will deß Teuffels sein
mit Leib vnd Seel / in alle Ewigkeit mich zupeinigen vnd zumartern /
vnd so ich gedächte oder wolte meinen Herren vmbß Gelt betriegen /
vnd gleichwol nit thun / was ich geschworen / zum Reichvatter gehen /
vñ mich von solchen Sündē absolvieren lassen / so soll auff der ganzen
Welt bey keinem einigen diener Gottes die absolution Krafft an mir
haben / solche Sünde zu vergeben / wo ich das jenige / wo zu ich mich er-
botten / nicht aufrichten werde / ich willes aber ohn einigen List /
Falschheit vnd Betrug verrichten / so wahr mir Gott helff vnd sein see-
ligmachendes Wort. Deus! quo usque tandem ascendent impieta-
tis usus?

§. 10 Modernum jurandi ritum, quod attinet, consistit ille vel in
tactu SS. Bibliorum, (quæ solemnitas licet per se ad Religionem juris
jurandi nihil conferat, atque ob id, ut non necessaria, salvo jure juran-
do omitti possit, quemadmodum etiam plurimis in locis, præsertim
Principum protestantium in defuetudinem abiit. Attamen nec su-
perstitionis redargui, sed ut ceremoniã quãdam piã, & solemnitatem
accidentalem, benè admitti aut tolerari posse, puto. *Ayr. in proc. par. 1.
cap. 6. observ. 5. num. 7. Parlador. 2. var. quotid. 4. n. 5.*) Vel si ma-
res jurent, in erectione dextræ, aut si eã carent utive non possunt, si-
nistræ. confer *Bocer. cl. 6. disput. 18. th. 119. digitis duobus prioribus, in-
dice scilicet, & medio (quidam etiam pollicem addi volunt. Iacob.
Ebert. in tr. Ethico. pag. 84.) cæteris involam compressis, si fœminæ
verò, dextrâ, non quidem elevata, sed tantùm ad pectus vel mamillam
sinistram adposita. Wesenb. in π. ff. d. l. n. 6. Petr. Gregor. 50. syn-
tagm. jur. c. 8. n. 30. rationem hujus ritus videre licet apud Sezer.*

de Iurament. 1. cap. 15. num. 37. Iacob. Ebert. d. l. Atque

hæc de generali Jurisjurandi
definitione.

B 2

CAP.

C A P U T. III.

De Divisione Jurisjurandi

§. 1.

EAndem, quam supra, circa definitionem notavi, hic quoq; experi-
 riri licet varietatem Dd. circa divisionem jurisjurandi. Quidam
 enim, ex quibus post *Hostiens.* & *Speculator.* etiam *Wesemb.* in *π. d. l. n.*
5. & n. II. Canis. 4. *Instit. jur. Can.* 12. §. 1. duo veluti summa gener
 præsupponunt, nempe Promissorium & Assertorium, quibus *Andr.*
Vallens. in *π. x. de jurejur.* Tertium addit, quod vocat comminatorium,
 Assertoriū dicunt, quo confirmatur aliquid de præsentī vel præterito,
 five, quo asseritur aliquid ita esse vel fuisse. Promissorium v. quod fit
 super futuro, quando videl. aliquid dandū vel non dandum, aut fa-
 ciendum, vel non faciendum promittitur. Comminatorium jusju-
 randum appellant quo non solum invocatio, sed etiam, impre-
 catio continetur. *Coras.* in *prolegom. ad l. admonendi. num. 8. ff. h.*
 quadruplex jusjurandum constituit, nempe. 1. Promissorium fide-
 litatis. 2. Introductorium obligationis. 3. Confirmatorium contra-
 ctus & 4. Decisorium litis. De quibus & aliis pluribus, *judicium*
Amplissimi Dn. D. Tabor. Antecessor. & Coll. Iuridis. in hac alma Argen-
toraten. meritissimi, Præceptoris mei venerandi. in animadv. ad We-
sen. π. de jurejur. n. 5. & II. cōferri potest quo cum etiā conveniētissimē
 dividi posse, statuo, ab objecto, nempe quod aliud sit super causa
 controversa, aliud super causa non controversa. Quæ divisio genera-
 lis etiam à *Duaren.* in *comm. de jurejur. cap. 1. Bachov. Hmn. ad Treutl.*
1. 21. 1. Sezer. de jurament. 1. cap. 3. Vult. discept. 7. & aliis traditur. Et
 jurisjurandi super causa non controversa species constituuntur. 1. Ju-
 ramentum fidelitatis, quod vel est subditorum, & dicitur commu-
 niūs Homagium, sive juramentum subjectionis & obedientiæ,
vnderthänig / getrew vnd hold zusein. Vel Vasallorum, & dicitur
 Vasallagium, juramentum feudale, *Lehenpflicht.* Vel ministrorum
 & officialium, *Dienstpflicht.* Juramentum domesticitatis, atque
 ad hanc juramenti speciem referunt etiam juramentum assecuratio-
 nis, *Erbhuldigungs pflicht.* 2. Promissorium. & 3. Confirmato-
 rium. *auth. sacramenta puber. C. si advers. vendit. l. 41. C. de transact.*
 & ibi *Dd.* Hoc verò, scilicet, rei controversæ, subdistinguitur, quod
 Vel ad-

137
vel adhibeatur causa iniiciendæ Religionis, ne facillè homines ad liti-
gandum procedant. *pr. instit. de pœn. rem. litig.* aut gratiâ decidendæ
litis. Et illius species hæc censentur. 1. Juramentum calumniæ &
malitiæ, der Aidt vor gefehrd. 2. Juramentum testimonij, Zeu-
gen Aidt. Quibus à quibusdâ additur, sed male, Juramentum purga-
tionis. Hoc verò, quod litis decidendæ causa vsurpatur, dividitur in
litis decisorium in specie sic dictum, & æstimatorium, sive jus-
jurandum in litem. Illud à fine ita dicitur, quod remedium expedi-
tissimum sit finiendarum litium. *Hebr. 6. l. 1. ff. de jurejur.* Et triplex
est, nempe voluntarium (quod pars parti defert extra iudicium. *l. 17. pr. l. 28. §. fin. ff. h. t.* sic dictum quod voluntate partis deferatur, sus-
cipiatur nec referatur. *Schn. ad §. 11. de act. n. 9.*) Judiciale (quod pars
parti in iudicio defert, Iudice id approbante. *l. 12. §. 1. C. de reb. cred.*)
& necessarium (quod Iudex in causis ob probationis inopiam dubiis
parti defert. *l. 31. ff. de jurejur. l. 3. C. de reb. cred.* Quia enim recusari
non potest sine justissima causa. *l. 12. §. fin. autem. C. de reb. cred.* mi-
nùs referri possit. *C. fin. Extr. de jurejur.* Recte necessariū dicitur, Sanè
uti termini hi tantum in *rubr. ff. de jurejur.* inveniuntur, nec alibi
eos uspiam in toto jure *ff. & C. legi*, à *Dd.* observatum fuit, ita non
tantum quidam eosdè nausearunt, tanquam Tribonianea νόμισα. Ve-
rùm etiam non una eorundem apud Interpp. juris acceptio, uti
enim *Wesemb. in π. d. l. n. 7.* testatur, Græci Interpp. voluntariū dicunt,
quod pars parti extra, vel in iudicio defert, cum in volūtate eius, cui
defertur, sit, utrū jurare velit, an, quod æquè in ipsius potestate, illud
deferenti referre. *l. 34. §. 7. ff. de jurejur.* Necessarium, quod refertur:
quia hoc casu deferens, & cui juramentum relatum est, necessariò
tenetur jurare, aut pati se condemnari. *d. l. 34. in fin. l. 12. §. 1. C. de
reb. cred.* Judiciale verò, quod iudex defert, eò quod locus solus ju-
dicialis non facit, sed iudex, qui defert. Græcorum explicationem
palatii convenientiorem sensere *Cujac. in π. ff. de jurejur. Vult. ad
§. 11. l. de act. & 1. disc. Scholast. 7.* sed cui bono circa verba delicati es-
se volumus, & peregrina appetere, domestica verò, quæque cum re-
bus ipsis tam benè conveniunt, & à scholis curiisque recepta sunt,
atque etiamnum retinentur, repudiare? *Rosbach. de process. civil. tit.
66. num. 8.* Atque hoc hætenus de his terminis paulo fufius nota-
re volui, nec enim stultus hic labor, scire dignoscere diversas horum
terminorū acceptiones, utpote cum Interpp. suo indulgentes genio
B 3 sapè

sape totos suos discursus desuper dirigant, atq; sic facile fieri possit, ut
quis ad alienum à mente authoris intellectum, incautus pertrahatur.

C A P U T. I V.

*De Juramento Litis Decisio-
rio in specie.*

§. I.

HOratij de arte sua disserturi, sed viribus destituti, indignatio est,
amphora cœpit
Institui corrente rotâ, nunc vrceus exit.

Eadem ferè & mihi nunc sententia est. Etenim constitueram to-
tum hunc, de jurejurando articulum gravissimum sub disquisitio-
nis incudem revocare, proque ingenij modulo accuratiùs eliminare.
Verùm enim verò dum hoc conor & molior, en ! ex hac alma Ar-
gentoratenfium Studiorum Vniversitate, ab illo, cui & Deus & lex
Imperium in me justum dedere, secedere, & iter properare jubeor:
atque ita quo minùs, quod cœpi, dignâ curâ perficiam, non tam vi-
rium imbecillitate, quàm temporis iniquitate excludor. Sicque his
præcipitantiæ & ambitionis repræhensionem apud omnes bonos
observanter deprecari & studiosè caveri volui. Sed exeat vrceus
amphora cæpta, dissertatio hæc mea; mihi satis erit ad rationes tem-
poris quadrimestralis hîc peracti reddendas, si ex adversarijs juris
meis, ea quæ in primis de juramenti litis decisorijs speciebus, volunta-
rio nempe, necessario & judiciali bonis authoribus excerpti, crudè
& nudè in subsequendas pagellas conijcere & doctiorum desuper
informationem calculumque deportare mihi licuerit. Nec enim
animum despondeo, quin cum Deo & die, & ad studia mea reversus,
id quod cœpi, etiam feliciter perfecturus sim.

P A R S I

De Jurejurando voluntario.

§. I.

VOLUNTARIUM JUSIURANDUM, cum à libera partium volun-
tate dependeat, uti voluntariè defertur, ita voluntariè suscipitur
ut d.

ut d. supra. Et quantumvis aliàs regulare sit, eum, cui delatum est jusjurandum, aut jurare, aut referre, aut solvere cogi. *l. jusjur. & ad pecun. 34. §. ait. prætor. 6. ff. jurejur.* id tamen in voluntario nequaquã obtinet, sed illud uti nisi initio liberè suscipitur, ita posteaquam semel ex conventionione susceptum est, necessariò præstandum nec potest deferenti referri *l. jusjur. 17. in pr. ff. de jurejur. Rosbach. de praxi civ. t. 66. n. 6. Wesenb. par. ff. de jurejur. n. 8.* ubi addit rationem, quod sicut ab initio libera potestas est, unicuiq; habendi vel non habendi contractus: ita renunciare constitutæ semel obligationi, adversario non consentiente nemini licet. *l. sicut 5. C. de oblig. & action. l. in commo- dato 17. §. sicut 3. ff. commodati.*

§. 2. Et locum habet juramentum hoc in omnibus causis civilibus, etiam criminalibus actione civiliter ad pœnam pecuniariam instituta *l. 3. §. 1. ff. d. l. quin nec matrimonialis causa, cæterùm ardua, hinc excluditur, si tamen affirmanti contractum deferatur, (videtur enim tunc contrahi matrimonium sub conditione honestâ, si affirmans juraverit, partem adversariam ei fidẽ dedisse, ita ut novo hoc consensu, negans contractum, in affirmantem consentiat, tametsi ipse contractus in veritate ante non subfuerit) non item si neganti Treutl. volum. 1. disput. 21. th. 10. lit. a. æquẽ ac in transactione, cui juramentum hoc æquiparatur. l. 2. ff. de jurejur. super contractu matrimoniali facta. Gloss. & DD. in cap. fin. de transact. Schneiderv. in comm. §. item si quis postulante ad Institut. de act. num. 26. cum sequentib.*

§. 3. Ejus est efficacix jusjurandum hoc, ut, vim solutionis. *l. 27. ff. h. & transactionis, majoremque quam res judicata auctoritatem contineat d. l. 2. ff. de jurejur. atque negocii sic (sive per formalem delati jurisjurandi præstationem, sive deferentis jurare parato factam remissionem) decisi, detecto etiam perjurio, novisue repertis instrumentis, l. sub pretexta 19. & 29. C. de transact. retractationem impediatur. l. admonendi 31. in fin. ff. h. l. quod si deferente 21. cum l. seq. de dolo malo. l. 1. C. de reb. cred. Wesenb. part. ff. d. l. num. 8. in fin. nisi specialiter retractatio lege concedatur. d. l. C. de reb. cred. quemadmodum favore ultimæ voluntatis exemplum habetur. in l. fin. Cod. eod. ubi detecto perjurio, quo legatum indebitè consecutus quis erat, ad ejusdem restitutionem condemnatur.*

§. 4.

§. 4. An verò idipsum partium quoque conventio efficiat, ut in casum detecti perjurij retractare liceat negotium? Affirmo per vulgatos textus, in l. 1. §. si convenit 6. ff. depositi. l. contractus 23. ff. de R. I. Novell. 136. cap. 1. in fin. c. contractus 85. de R. I. in 6. in quibus conventio legem dare contractui dicitur. C. nfirmat hoc & ea ratio, quod delatio jurisjurandi hujus, si prædicta conventio accesserit, tacitam hanc conditionem contineat: *si nil emerferit postea, quo intentionem meam probare possim legitime.* Unde conditione tali dein existente, per conventionem partium eo nomine præcedentem, licentiam retractandi causam dari non dubito. Donell. quem sequitur Treutl. volum. 1. disput. 21. th. 8. lit. b. Actio, quæ ex jurejurando voluntario descendit, eadem est cum illa, quæ ex judiciali oritur. Idcirco de ea parte seq. agetur.

PARS 2.

De Juramento necessario.

§. 1.

NECCESSARIUM JUSIURANDUM in causis dubijs à judice parti imponitur. l. admon. 31. ff. h. l. in bona fid. 3. C. de reb. cred. c. fin. ext. de jurejur. causas autè dubias definimus, in quibus neq; nihil neq; plenè probatum est. Wesenbec. par. ff. d. l. n. 10. Treutl. vol. 1. disput. 21. th. 10. Defertur hoc jusjurandum à solo judice. d. l. 31. ff. h. Rosbach. praxi civil. tit. 67. num. 3. per quod à voluntario & judiciali differt, quæ à parte parti deferuntur. An autem imploratum esse judicem necesse sit? Sic magis communiter existimant, & Wesenb. par. ff. d. l. num. 10. Schneidenvv. §. item si quis postulante. Instit. de action. num. 47. quia judex nisi imploratus officium suum non impertit. l. dies cautioni. 4. §. hoc autem judicium 8. ff. de damno infecto.

§. 2. Verùm expressam eius petitionem à parte fieri, necessarium non existimo, cum Treutl. Volum. 1. disputat. 21. th. 10. Gail. l. 1. observ. 108. n. 4. Panorm. in cap. fin. §. sanè n. 15. extr. de jurejur. ubi dicit: Judicem non solùm ex officio juramentum necessarium parti deferre posse, sed hoc planè facere debere. Nam cuncta rimari, & pro habenda veritate modis omnibus laborare debet. l. indices 9. C. de judiciis. c. judicantem. 30. quest. 5. c. cum causam. de testibus. Et potest

potest quodocunque æquitate postulante ad eruendam veritatem partem in jure interrogare *l. ubicunque. 21. ff. de interrog.* Quod verò Panormit. *loc. cit.* addit, litigatori petenti deferendum non esse hoc juramentum, cum ultrò petendo se reddat suspectum. *arg. l. 25. §. 1. ff. de procurat. & l. uxori. 18. §. 1. ff. ad l. Cornel. de falsis.* rectè negatur; cum à tali petitione pars nullà lege arceatur, sed & id maximè juri & æquitati consentaneum appareat. Nec verò suspectum se reddit postulans, cum de causa propria contendit, atque insuper peieraturus non præsumitur, quia id ipsum (causas scilicet ex inopia probationum jurejurando decidi solere) ex legibus didicit. Ita Fachin. *controvers. jur. lib. 1. contr. 16.* Ad objectam *l. 4. §. 8. ff. de dam. inf.* rectè respondet Gail. *d. observ. 108. num. 7.* sufficere officium judicis initiò, & in processu causæ, per clausulam illam salutarem libello insertam: *Peto mihi jus & justitiam administrari*: à parte esse petitum: Illius enim clausulæ virtute judicem interpellatum censerì, adeò ut supplere & officium suum, aliter non petitum, impartiri possit. Et ita ibidem *num. 6. in fin.* in Camera Spirensi judicari testatur. Illud quidem conceditur, partem post conclusionem in causa, delationem huius jurisjurandi petere non posse, cum publicatis attestacionibus sciri possit vel debeat (quæ paria sunt *l. quod te 5. ff. de reb. cred.*) num intentionem vel defensionem suam plenè probàrit, nec ne: quod si dubitet, juramentum sibi deferri postulet, id si facere negligat, sibi imputet, in mora, ei non profutura, fuisse. *c. auditis 8. de procurat. c. pastoralis 5. de causa possess. c. cum dilectus 9. de fide instrum.* quia partes in causa concludentes, censentur omnibus aliis allegationibus & probationibus renunciare. *l. fin. §. 1. C. de compensat. d. c. pastoralis. gl. in d. c. cum dilectus. & in d. c. auditis. Specul. de renunc. & conclus. n. 3. Gail. lib. 3. obs. 107. n. 3.*

§. 3. Verùm expeditum satis non est, an ipse judex ex officio post conclusionem in causa parti juramentum hoc deferre possit? cõmunis in *l. 3. C. de reb. cred.* negativa opinio: eò quod causa conclusa probationibus locus amplius non sit *dd. jurib.* Juramentum autem hoc probationis sit species. *l. sed si possessori 11. §. si cum 3. ff. d. l. sed verius affirmatur cum Treutlero volum. 1. disp. 21. thes. 10. lit. e.* Quia in causa quoad judicem, cuius officium latissimum est. *l. 1. ff. de jurisd. om. jud.* nunquam concluditur per *d. c. pastoralis 8. in fin. de caus. poss. Myns. cent. 6. observ. 56. num. 7.* Siquidem ante conclusionem, processu nondum examinato, scire nequit judex, an opus sit, in supple-

C

mentum

mentum plenæ probationis deferre juramentum. Gail. *lib. 1. observ. 108. num. 5. facit l. ubicunque 21. ff. de interrog.* Jura verò quæ in contrarium allegari possunt, quoad partes litigantes, non quoad judicem locum habent. Gail. *d. lib. 1. observ. 107. n. 7.* eius enim officium factâ conclusione non conquiescit. *de verb. sig. Clement. saepe contingit. §. interrogabit. & ibi gloss.* Citari tamen pars adversa debet, ad videndam jurisjurandi delationem, cum causæ cognitio, & per consequens partis adversæ præsentia requiratur. *l. 3. C. de reb. credit. Rosbach. prax. civil. tit. 67. num. 8.* id tamen in Camera non observari ait Gail. *d. obs. 108. n. 8.*

§. 4. Delationem jurisjurandi necessarii causæ cognitio præcedit, ut *thes. præced. insinuatum*: in quam venit examinatio judicis, num deficiat quodpiam requisitorum: quorum quinque sunt præcipuè: 1. semiplena partis probatio, per unicum fortè testem, omni exceptione tamen maiorem: id est, cui nulla exceptio objici, aut macula impingi potest. Schneid. *§. item si quis postulante 11. Instit. de action. num. 43.* unde si testis sit amicus, affinis, domesticus, inimicus, perjurus, infamis, malæ famæ, spurius, compater, fœnerator &c. ei non deferendum esse, ait Rosbach. *prax. civil. tit. 67. num. 11.* aut si litigatoris intentio per privatam scripturam, utpote vim plenæ probationis non habentem, probata sit. *Specul. de iuram. delat. num. 3. in fin. Hostiens. de assertorio iuram. §. quando sit deferendum. vers. sed si semiplenè.* Nec sufficit semiplenæ illius probationis præsumptiva, sed vera & necessaria requiritur conclusio, secundum Mynsing. *cent. 1. observ. 68. uum. 1.* 2. Semiplenam actoris probationem alio teste vel præsumptione non elisam esse oportet. *Myns. loc. c. num. 5. Rosbach. d. tit. 67. num. 10.* 3. Factorum qualitas inspiciatur, uter scilicet litigatorum veritatem melius scire putetur. *l. videamus. 4. in princ. ff. de in litem jurando. c. videtur 3. qui matrim. accus. poss. Specul. de iuram. delat. num. 11.* sic enim heres super facto defuncti semiplenam probationem includens, cum præsumatur ignorantiam negotii habere, tanquam facti alieni. *l. Marcelli 11. §. Jurare 2. ff. de act. rer. amot. l. qui alterius 42. ff. de Reg. Jur.* Vix poterit sibi juramentum necessarium deferri petere. *Schn. l. c. num. 46. Myns. d. cent. 1. observ. 68. num. 2.* nisi & ipse heres negotii scientiâ non sit destitutus, quia tunc prohibitionis causa cessante, ipsa quoq; prohibitio cessare debet. *c. magne 7. de voto. c. cum cessante 60. de appellat. c. non debet 8. de consang. & affin.* Quin nec jurejurando opus est, si is, cui delata fuit

fuit jurandi conditio, acceptam eam, jurare quidem fuit paratus, ante autem quam juraret, è vivis decesserit: siquidem tunc perinde habebitur, atque si jurasset, fietque adjudicatio heredi. Mynsing. centur. 1. observat. 13. Gail. lib. 2. observ. 43. per tot. quilibet enim præsumitur memor salutis suæ, nec velle mori in peccato cum mendacio. l. fin. ibi, & licet neminem. C. ad Leg. Jul. repetund. cap. sancimus 1. quest. 7. 4. Personæ conditio attendatur, an scilicet sit honesta, moribus gravis, & integræ vitæ, Mynsing. d. cent. 1. observ. 68. num. 3, cæterisque quæ testem insufficientem ostendunt, gravatus, ut l. 2. 3. & 16. ff. de testib. l. 27. de falsis. l. 15. de questionib. Novell. 90. in princ. cap. 1. Schn. l. c. n. 45. Unde vili, aut suspecto de perjurio juramentum non defertur. Panorm. cap. fin. §. sanè de iureiur. Bald. in l. qui accusare. C. de edendo. 5. Quamvis regula sit, juramentum hoc deferri posse quacunque actione, sive in personam, sive in rem, sive in factum, sive pœnali, vel quavis aliâ agatur, sive de interdicto. l. in l. ait prætor 3. §. 1. de iureiur. eâ tamen non obstante, consideranda venit causæ natura: num magna, ardua, criminalis, vel modica & civilis sit: quæ autem causâ modica, vel magna sit, rectè iudicis committitur arbitrio, qui id non tam ex natura rei seu quantitatis, quàm etiam ex conditione litigantium discernet. Siquidem centum aureorum summa inter duos pauperes litigantes, perinde æstimanda magna: atque mille aureorum inter duos divites & potentes. Schneid. loc. cit. num. 45. Mynsing. d. observat. 68. num. 4. Specul. de Juram. delat. num. 3.

§. 5. Itaque in causis criminalibus juramentum hoc non defertur. Gail. lib. 1. observ. 108. num. 11. Mynf. cent. 1. observ. 67. num. 4. Rosbach. prax. civil. tit. 67. num. 7. Treutler. volum. 1. disp. 21. thes. 10. lit. a. Wesemb. ff. h. num. 10. Specul. de iuram. delat. num. 5. In talibus enim causis requiruntur probationes luce meridianâ clariores, evidentissimæ, manifestissimæ rationes, ut vocantur l. ult. C. de probat. l. dolum 6. C. de dolo. l. qui sententiam. 16. C. de pœnis. l. tutor. 3. §. præterea 4. ff. de suspectis. l. planè 34. §. sed si 3. de legat. 1. l. optimam 14. in fin. C. de contrah. & com. stip. Idem est etiam in aliis arduis & magnis causis, licet civilibus, criminalibus tamen jure æquiparatis; ut sunt, causæ famosæ, c. fin. extr. de iureiur. Specul. de iuram. delat. Vigel. 2. Inst. 11. reg. 1. except. 16. causâ matrimonialis, in qua similiter semiplenè probanti necessarium juramentū deferri nequaquam debet. gloss. notab. in cap. veniens. de testib. Item, ob summum quod

hac in causa versatur periculum, utpote ubi quasi de statu hominis agitur, ob individuum illam vitæ societatem, quæ speciem, in primis si infeliciter jacta alea, extremæ servitutis præ se fert. *Gloss. in c. mulieri 34. extr. de iureiur.* neque enim priorum corporum potestatem habent conjuges, sed alter duntaxat alterius. *1. ad Corinth. 7. c. non debet 8. de consanguin. & affin. Gail. lib. 2. observat. 94. num. 1.* Quod quidem indubitatè verum est, si de dissolvendis matrimoniis quæstiones incidant. *cap. in literis 24. de testib. Treucler. volum. 1. disp. 21. thes. 10. lit. a. cap. 1. de consanguin. & affin. cap. si lator. de sentent. & re judic.* Quod enim **D E U S** conjunxit, homo separare nequit. *Matth. 19.*

§. 6. Num verò semiplenè probanti matrimonium, necessarium juramentum ad probationis supplementum deferri poterit? consideratis qualitatibus ac circumstantiis personarum, arbitrabitur iudex; delaturus id, si pars petens præter semiplenam probationem fortem aliquam præsumptionem pro se habeat: Exempli gratiâ, si vir vitæ integritate conspicuus, optimæque apud omnes opinionis, inferiorem suâ conditione aut dignitate, in matrimonium sibi postulet. *cap. fin. extr. h. in fin. Panorm. c. mulieri 36. de iureiur. num. 6. Schneid. Inst. de nupt. in princ. num. 29. Gail. lib. 2. observ. 94. num. 12.* In aliis igitur causis civilibus modicis juramenti huius delationi locus est. *d. l. ait prætor 3. §. 1. ff. h.* Sanè in causis criminalibus, quamvis variè Doctores dissentiant, distinctio tamen prætermittenda non est: utrum ad publicam vindictam accusatio instituta sit, an verò civiliter ad pœnam pecuniariam agens deferri sibi jusjurandum necessarium in supplementum semiplenæ suæ probationis postulet? ut priori quidem casu iudex deferre nequeat: secus quam in posteriori. *Trentler. volum. 1. disput. 21. thes. 10. lit. a. Myns. cent. 2. observ. 87. in fin.* Et ita bona fit interpretatio. *d. l. ait prætor 3. §. 1. ff. h.* in qua iurando, quacunque actione agatur, locus tribuitur: ut scilicet intelligenda sit de civiliter intentata, non criminaliter: posterior enim casus potius accusationis quàm actionis nomine venit. *l. cum suppositi 10. C. ad L. Corn. de falsis. Fachin. contr. iur. lib. 1. c. 15.* Quamvis id ultrò concedatur, reum de crimine accusatū, nec tamen convictum, jurejurando purgatorio gravari posse. *Fachin. l. c. Gail. lib. 2. obs. 106. & lib. 2. de pace pub. c. 7. Jul. Clar. §. fin. q. 63.* Etiam si reus nihil probaverit. *Vigel. lib. 2. Instit. c. 13. in pr. ubi latè de hac materia agit. Myns. cent. 2. observ. 87.*

§. 7 De

§. 7. De hoc juramento est *tit. X. de purg. canonica*, locum quoque habet etiam in aliis causis, & civilibus actionibus, si præsumptio pro actore faciat: ut scilicet Reus præsumptione gravatus jurejurando innocentiam suam ostendat. *t. in c. fin. in fin. Extr. h.* Vid. Hostiens. *in sum. de purg. canon. vers. quando sit indicenda. & in tit. de iureiur. §. nunc redeundum. vers. quando sit differendum.* Schneid. *in §. item si quis postulante. num. 30. cum seqq.* Estque purgatio hæc duplex, canonica, quæ de jure canonico introducta, *cap. crimine. 15. quest. 5. cap. de manifesta. q. 1.* & olim non nisi inter clericos obtinebat, hodie verò postquam jure civili approbata. *Iul. clar. §. fin. questio. 63. vers. solet etiam. 4. cum sequent.* etiam inter seculares locum habet. conferatur *ord. cam. p. 2. t. 10.* Altera purgatio dicitur vulgaris. *tot. tit. extr. de purgat. Vulg.* à vulgo introducta, & olim fiebat per duellum, ignem, crucem, corpus Christi, candens ferrum, aquam frigidam. Sed, quia jam olim in usu esse desijt, non opus est verba de ea facere.

§. 8. Quoties igitur reus suspectus est de crimine aliquo, nec tamen de eo convinci potest, ad purgandum se juramento citari potest. *c. de presbyt. c. quæ de causa. c. si mala. c. quoties 2. q. 5. cap. 4. in fine. extr. h. t.* Etsi sit clericus *dd. jur.* aliàs jurare prohibitus. *dd. cc. 2. q. 5. in pr.* Sanè Reo argumentis quibusdam non suspecto existente *dd. jur. c. 12. de jurjur. ord. cam. d. t. §. doch daß er dem Richter.* aut crimè notorium sit, aliasve probari possit. *c. 15. h. cui non obstat ord. cam. d. p. 2. t. 10. in pr. ibi auch der Kläger*) vel saltem ad torturam sufficientia adsint indicia, ad hoc juris remedium veniendum non est. *Iul. clar. d. §. fin. quest. 63. vers. licet autem in fine.* Item alius purgationem inducere non potest, si causa apud alium Judicem pendeat. *d. c. 15. in . h.* aut si decreto purgationis fuerit appellatum, *cap. 6. h.* sed & si quis semel legitimè se purgavit, amplius ad purgationem compelli non debet. *d. c. 15. §. fin. nisi prior fuerit Vulgaris. c. 8. h.* Locum autem obtinet purgationis hoc juramentum non in criminibus duntaxat, sed & quandoque in civilibus causis, ut si quis ad sacros ordines promovendus, filius Sacerdotis, & sic irregularis dicatur. *cap. 14. h.* indicitur etiam officio Judicis parte non petente. *cap. 10. §. nec illud. h. ord. cam. p. 2. t. 10. §. sollen vnd wollen auch.* Non Viris modò, sed & fœminis, & quidem regularibus, veluti monialibus. *cap. 3. h.* Et quamvis videatur invitis juramentum hoc deferendum non esse. *per c. mandastis. c. quoties. §. fin. cum sequent. 2. quest. 5.* contrarium tamen

men quod cogi possint, imò si suspectus id præstare nolit, pro convicto habeatur patet & probatur, ex *c. 10. §. fin. c. 7. §. deficientem h. ord. cam. l. c. §. wurde sich aber. nisi innocentiam suam reus probare velit. d. §. wurde. vers. es werden. aut exceptionem aliquam ex his, quas in *pr. h. t.* attuli, obijciat. Porro si reus tantopere sit suspectus, ut compurgatoribus (qui debent esse Viri honesti, vel saltem de crimine non condemnati, nec amore vel odio dejeraturi præsumibiles, & quibus suspectus sit notus. *cap. 7. 9. 11. h.*) opus sit, quod iudicis committitur arbitrio. *ord. cam. l. c. §. vnd ob der beschuldigt / jurabunt ij de credulitate, ord. cam. l. c.* Reum, qui de veritate jurare tenetur. *c. quoties §. porro expurgationis 2. quest. 5. rectè jurasse.* Et pro atrocitate criminis numerus compurgatorum augetur. *c. omnibus. §. ipse ergò sacerdos vers. vel. ex eo amplius* Quod si universitas aliqua vel collegium suspectum habeatur, duæ tertiæ senatus jurare debent, præsertim ij, qui maximè habentur suspecti. *ord. cam. d. p. 2. t. 11. §. wurde aber ein Commun.* Antequam autem juramentum purgationis indicitur, argumenta suspicionis articulatim proposita, à Judice cognoscenda, & ab accusatore probanda sunt, si à reo negentur; nisi is persona sit vilis & accusator è contra altioris & honestioris loci argumenta jurejurando aut uno forsàn teste probasset, tunc enim ei onus probandi remittitur. *ord. cam. l. c. wo er aber ein Churfürst.* Interim autem juramentum purgationis præstitum fuerit, reus ab officio, & pro atrocitate criminis etiam à beneficio suspendendus. *c. 10. h. c. presbyter. c. accusatur. 2. quest. 8.**

§. 10. Suspectus coràm ordinario Judice in propria persona jurare debet nisi Elector aut Princeps sit, tunc enim per procuratorè comparare & jurare permittitur. *ord. cam. l. c. §. doch daß er dem Richter.* Et citato salvus conductus ad jus & de jure conceditur. *ibid.* In hoc autem judicio, quo ad purgandum agitur, summarie procedendum est. *ord. cam. l. c. §. vnd soll in solchen.* Et siquidem reus juraverit, absolvendus est, & in pristinum statum restituendus *c. 8. §. purgatio. verò h. ord. cam. l. c. §. vnd so er solch purgation.* Quamvis postea eum, qui se purgavit, ordinario judicio iterum convenire & solutū ipsi sit, si crimen probari possit, de quo si fuerit convictus, ratione perjurii simul, & criminis, de quo fuit accusatus, punitur *ord. cam. l. c.* Cæterum nec illi adversus eum, à quo sine justa causa suspectus factus

factus est, actio denegabitur. §. wo aber jemandes. l. c. Et hæc de juriurando purgatorio.

§. II. Necessarium jusjurandum non in prima tantum instantia peti potest, sed & si petitum non sit, etiam in causa appellationis locum habet. Quia omnes errores ipsam causam concernentes in secunda instantia purgari possunt. l. fin. §. 1. ff. de appellat. Got. ibid. lit. i. l. per hanc 4. C. de tempor. & reparat. Gail. lib. 1. observ. 108. num. 9. Controversa hic illa quaestio prætereunda non est, cui ex litigatoribus suppletorium juramentum deferendum sit? Sanè omnis diversis opinionibus, illud actori semiplenè probanti in causis pecuniarijs, si reus nihil probarit, quo actoris intentio excludatur, deferendum esse, non dubito, cum sic Judex ad opinandum facile induci debeat, meliorem actoris esse causam, quam rei, absque eo, quod quidquam præstiterit, duntaxat actoris intentionem negantis. Reum itaque utpote penè convictum absolvere nequit; nec condemnare, intentione actoris plenè non probata. Causam itaque in litigio incerto non relicturus jurejurando decidet, l. in bona fidei. 3. C. de reb. cred. at id ipsum reo nihil præstanti non deferet, cum major sit pro actore jam semiplenè probante præsumptio. Consequens ergò est, hac in specie actori potius quam reo esse deferendum. Neque multum ex adverso probat. Duar. lib. 2. disput. annivers. cap. 33. ex eo: quod actore non probante, reus, etsi nihil præstiterit, absolvi debeat. l. qui accusare. 4. C. de edendo. l. negantes. C. de obligat. l. possessionis. 2. C. de probat. c. fin. §. sanè. extr. b. Siquidem axiomati locum esse negatur, si actor semiplenè saltem probarit. Etenim si de plena actoris probatione intelligi deberet: neque opus esset jurisjurandi reo delatione: cum juramentum hoc necessarium deferatur in supplementum probationis, quæ tamen plena jam supponitur. facit cap. 3. de probat. Et prædicta jura reum, etsi nihil præstiterit, absolvantia, intelliguntur, ubi actor in probatione deficit. per t. express. in d. c. fin. ibi sanè si actor omninò in probatione defecerit. ext. b. quod minime contingit, si plenè de jure suo docuit. Quod si omninò in probatione actor deficiat: rursus reo frustra jusjurandum defertur, cum ipsi tunc sufficiat simplex negatio intentionis actoris, & sic nulla necessaria sit defensio. t. express. in l. siquidem 6. & ibi Got. C. de except. multò minus obest ex eo Duaren. l. c. quod casus l. admonendi. 31. ff. h. de reo cui juramentum hoc delatum erat, conceptus sit cum senten,

sententiam nostram non probemus ex lege illa, sed ex generali regula *d. l. in bona fidei. 3. C. de reb. cred. & in d. cap. ultim. §. fin. de jurejur.* quatenus ibi dicit Pontifex. *nisi iudex actori potius deferendum putaverit.* Si igitur aliquo casu actori deferendum est jusjurandum necessarium, certè in casu semiplenæ probationis (concurrentibus cæteris requisitis: de quibus *sup. §. 4. hujus part. 2. dictum*) id fieri necesse est. Atque ita communem esse sententiam, usumque forensem, fusiùs docet *Andr. Fachin. contr. jur. lib. 1. cap. 18.*

§. 12. Rectè etiam *Fachin. l. c.* in fine adiicit: si pares hinc inde sint probationes, & reus aliquid præstiterit, quo causa dubia redatur, potius reo quàm actori deferendum esse jusjurandum: neque enim Judex reum simpliciter absolvere, aut condemnare potest, sed delatione jurisjurandi opus est, & quidem reo facienda, tanquam in dubio favorabiliori. *l. favorabiliores. 125. de R. I. C. cum sunt partium jura 11. eod. in 6. l. inter pares 38. de re judicat. Menoch. de arbitr. casu 109. num. 19. Rosbach. praxi civil. tit. 67. num. 13. Treutl. Volum. 1. disput. 21. th. 10. lit. c. sibi tamen lit. a. in fin. ibid. non contradicens, veluti tunc de plena utrinque facta probatione intelligendus, ut c. 3. de probat. ab eo adductum indicat.*

§. 13. Illud satis non constat, utrùm à sententia Judicis jurejurando causam decidentis liceat appellare? Sanè quoad quæstionem hanc inter judiciale juramentum & necessarium non nihil interest: Nam in priori, si is, cui delatum fuit à parte jusjurandum, id ipsum nec referre velit, eaque ratione condemnatus, in appellatione haud dubie repositum habet auxilium, *[per t. expres. in l. generaliter 12. §. fin. autem. 2. C. de reb. cred.]* Parti verò deferenti, si is, cui delatum fuit, jurans victoriam obtinuerit. sive deferens ob recusationem relati sibi jurisjurandi causa ceciderit, nullum provocationis remedium reservabitur. *d. l. 12. §. 3. quis enim ferendus est ad appellationis veniens auxilium in his, quæ ipse facienda procuravit? d. l. 12. §. 1. aut in quibus Judex eum secutus est? d. l. 12. §. 3.*

§. 14. Utrum verò referens, si is qui priùs detulit, relatum nunc sibi jusjurandum præstans vicerit, appellationis subsidio destituetur? Inficiandi quibusdam occasionem præbuit, tum generalis illa regula. *l. & in Majoribus 20. de appellat.* à qualibet sententia appellandi esse licentiam: tum ratio, quæ in hoc à prioribus diversa est, quod is, qui primo detulit jusjurandum, sponte hanc viam elegerit, ut Sa-

ut Sa-

ut Sacramento causa definiretur. At ille, cui offertur juramentum, non sponte illud referat deferenti, sed necessitate quadam impulsus: ne videlicet ipse jurare cogatur, aut solvere. Verius tamen est, eum qui retulit jusjurandū, postea à deferente præstitum, si victus sit, nullo se amplius appellationis subsidio juvare posse. Eadem enim ratio, quæ in deferente, etiam in referente militat: cum omnis relator sit delator. *ut ait post Accurs. Gotofr. in d. l. generaliter 12. §. sin autem 3. lit. b.* nam sicut antea deferenti delatio fuit libera, sic & referens hanc viam sponte elegit, ut adversarij testimonio lis decideretur: cum etiam ipsi liberum fuisset jurare, ac Judicis, testisque vice in causa propria fungi. Nec parùm huc roboris confert æquiparatio illa jusjurandi & transactionis. *l. 2. ff. b.* sicut enim lites transactionibus finitas ne imperiali quidem rescripto resuscitari oportet. *l. causas 16. C. de transact.* ita adversus jusjurandum appellatione, utpote litium resuscitandarum remedio venire non convenit: præsertim cum præstito semel jurejurando amplius, præterquam an juratum sit? quæri non debeat. *l. non erit. 5. §. sub dato. 2. l. nam posteaquam. 9. §. 1. l. in duobus. 28. in fin. ff. b.* quemadmodum nec sententia perjuri. *l. 1. C. de reb. cred.* aut instrumenti de novo reperti prætextu retractari potest. *l. admonendi 31. ff. b.* Excipitur tamen casus. *l. de his ff. de transact.*

§. 15. In posteriori verò necessario scilicet juramento, dubium non est, quin parti, cui in supplementum probationis Judex ex officio jusjurandum detulit, impulsu Religionis contra semet juranti, & inde victæ nullum supersit appellationis auxilium, cum utique in ulteriore instantia propriam suam perjuri turpitudinem allegare necesse foret, quod ipsum tamen jura non permittunt. *l. si creditorib. 5. C. de serv. pign. dato. l. de transactione finita. 30. C. de transact. facit. l. aliàs 18. ff. b. cap. inter dilectos. 8. §. attendentes. Extra de dolo. Specul. de actore, num. 55.*

§. 16. An verò ex jurejurando parti victrici à judice delato condemnatus appellare possit? ad affirmandum persuadeor ex eo quod juramentum necessarium, qui nova instrumenta se invenisse dicit, quibus nunc solis usus sit, retractare queat, *t. in l. admonendi 31. ff. b.* maximè quod longè diversa sit ratio in hoc, quam in judiciali jurejurando, ideò non retractabili, quia consensu quodam

D

utrius-

utriusque partis præstatur, ac proinde transactionis speciem continet. *l. 2. ff. h.* at verò necessarium alterâ parte etiam invita deferri potest, ut sic transactionis vires nullas recipiat. Schneid. §. *item si quis postulante. Inst. de action. num. 43.*

P A R S III.

De Juramento judiciali.

§. 1.

EI, cui probandi onus incumbit, si probatione destituatur, licet juramentum adversario deferre, quem idipsum jurare, aut referre, aut certè causâ cadere necesse est: *l. iusiurandum 34. §. ait prætor 6. l. manifesta 38. ff. h. l. 9. C. de reb. cred.* Recusari enim nequit, nisi iusta recusandi causa sublit.

§. 2. Inter illas, aliàs complures, quas refert Bartol. *in d. l. manifesta 38. ff. de iurejur.* prima est, si ex forma statuti vel consuetudinis probatio, nisi per testes aut instrumenta fieri non possit. Eo namque casu licet à parte, cui delatum est juramentum, recusabitur, ut ait Bald. *auth. sed novo iure. C. si certum pet. 2.* Si quis cum probationibus destitueretur, adversario jusjurandum detulerit, illudque revocaverit, quasi nunc abundantes probationes invenisset: iis postea minus sufficientibus ad sacramenti delationem recurrere nequaquam potest. Rectè ergo à parte adversa recusabitur. *t. express. in l. si quis 11. C. de reb. cred.* Juramentum 3. etiam acceptatum necdum tamen præstitum recusari potest, si pars deferens ad petitionem recusantis (secus non) jusjurandum calumniæ præstare renuat. *l. Marcellus 11. §. 1. ff. de act. rer. amot. l. 34. §. 4. l. 37. ff. h. l. cum de indebito 25. §. penult. ff. de probat. l. 9. C. de reb. cred.* solus autem deferens, non item referens (ut nec parens & patronus *l. 34. §. qui iusiurandum. ff. h.*) de calumnia vitanda jurare tenetur. *d. l. 34. §. 7. ff. h.* 4. Is qui intentionem suam jam plenè probavit, delatum sibi jusjurandum rectè recusat. *cap. 2. de probat.* Idem probabilius de eo, qui non obstante delatione sese obtulit ad probandum contrarium per testes aut instrumenta. Bart. *in l. contractibus 14. §. illo 3. C. de non num. pec.* Multi enim, præsertim honesti viri, metu divini numinis perquam timidi, quid-

quidvis potius facere, quam jurare mallent. *l. qua sub conditione 8. in princ. ff. de condit. Instit.* Et verò æqua insuper est opinio hæc, ne malis hominibus pecunias extorquendi occasio hoc pacto præbeat, dum adversarium vix juraturum præsumentes relatum sacramentum subire minimè pertimescunt, utpote, quia aliàs contemptu religionis ad jurandum sunt faciles. *d.l. 8. in princip. de condit. instit.* atque adeò intrepidi quæcunque altaria tangunt. *Juvenal. Satyr. 13.* hoc igitur casu non expedit juramentum referre, sed oblatis aliis probationibus recusari potest. Quod tamen limitatur in deferente, ut is etiam oblatis probationibus relatum sacramentum recusare nequeat: cum hanc jurandi necessitatem ipse sibi attulerit. *Wesemb. in addit. ad Schneid. §. item si quis postul. Inst. de act. num. 92. 5.* Si is qui veritatis ac rei gestæ laborat ignorantia, ut heres, tutor, curator, procurator, defensor &c. adversario jusjurandum obtulerit: relatum sibi idipsum recusare non prohibetur. Imquum enim est de alieno facto alium jurare: aut invitum anceps perjurium subire. *l. 34. §. 3. h. l. 4. in princ. de in lit. jur.* atque hoc certum esse ait *Treutl. volum. 1. disput. 21. thes. 9. lit. a.*

§. 3. An verò ex eadem ignorantia causa delatum sacramentum recusare quis possit? *Resp. Natta in cons. 35.* Jusjurandum, quod referri nequit, nec deferri posse: cum itaque is, cui defertur, de injuria frustra conqueratur, quod id referre valeat. *l. 34. in princ. h.* hoc autem casu referre non possit. Ergò si referatur ei, de injuria rectè conqueritur. Verius tamen in contrarium respondit *Gravetta in consil. 203.* propterea recusari non posse jusjurandum, quia referri non possit. Nam hoc etiam casu æquitatis viget ratio: nempe, quod turpiter quis recuset testimonium ferre in causa propria, faterique videatur, se malam fovere causam, cum jurare non audeat. Et sanè aliàs non semper consonans est per omnia referri jusjurandum, quale defertur. *l. 34. §. non semper 8. ff. h.* Nec adversatur *Nattæ* ratio, quia cum juramentum referri potest, sine dubio maior est æquitatis ratio, sed tamen etsi referri non possit, illa non cessat, quod turpiter recusetur jusjurandum, cum in causa propria iudex & testis, is cui offertur, efficiatur. *l. 1. in princ. ff. quar. rer. act. Menoch. de arbitr. jud. quest. 289. Mascard. 2. de probat. conclus. 957. num. 16. Fachin. contr. jur. lib. 1. cap. 21.*

D 2

§. 4.



§. 4. Recusari potest jusjurandum, si deferatur ab eo, qui deferre nequit: ut est infans. §. 9. *Instit. de inutil. stipul.* Pupillus l. 17. §. 1. l. 23. l. 23. ff. h. furiosus. l. 5. de Reg. Jur. prodigus. l. 35. §. 1. ff. h. nisi tutoris vel curatoris autoritas hunc defectum suppleat, d. l. 17. §. 1. & §. 2. d. l. 35. in princ. l. 1. §. 1. quar. rer. act. Servus: nisi peculii administrationem habeat, l. 20. h. tunc enim & rectè ei solvitur (in summa, servus & filiusfamilias in hoc æquiparati, l. 22. h. in re patris dominivè propria jurantes, eorundem conditionem non faciunt deteriorè, l. 24. h. quin & servus in causa peculiari deferens juramentum domino non præjudicat, cum judicium in persona servi non subsistat, l. 5. §. 2. de pecul.) Defensor municipum vel cuiuscunque corporis, sive Syndicus Universitatis, si speciale mandatum non habeat, l. 34. §. 1. h. procurator vel quilibet extraneus, item filiusfamilias citra domini vel patris mandatum, aut ratihabitionem l. 7. C. de reb. cred. l. 17. §. 3. l. 18. l. 19. ff. de jurejur. Sanè recusari potest jusjurandum procuratoris ad petendum duntaxat constituti, etsi de rato velit cavere, cum per illam cautionem jurandi non plenè succurratur: ut bene explicat Schneid. §. item si quis postul. *Instit. de actionib. num.* 103. ex l. aliàs 18. ff. h. Neque tamen tunc poterit recusari, si procurator habeat speciale mandatum, aut universorum bonorum, aut in rem suam procurator quis existat, l. 17. §. 3. h. Quod si procuratori speciale domini mandatum non habenti ab adversario jusjurandum deferatur, potest is quidem illud in favorem domini subire, secus non, cum excederet fines mandati, l. 19. d. t. & si ita rectè subeat, domino exceptionem aut actionem parit. in d. l. 19. §. 6. h. De illo non dubito, quin pars sacramentum sibi, approbante iudice, delatum per procuratorem specialiter, qualiter in animam eius jurare debeat, instructum, ceu organum præstare possit. arg. l. 15. ff. de pecun. const. & arg. c. fin. de juram. calum. ubi juramentum calumniæ per procuratorem præstari potest.

§. 5. Rectè juramentum recusat pupillus l. 34. §. pupillo ff. h. cap. parvuli, cap. pueri in princ. cap. honestum in fin. 22. quest. 5. ut & ii qui judicium suscipere cogi non possunt. Jusjurandum enim litis contestationi æquiparatur. Sicut ergò is, qui coram iudice, quem declinare potest, litem contestari non cogitur, ita nec jurare. l. sed etsi 28. §. ex quibus. ff. de judiciis. Quin, cum liberta, uxor, adversus patronum, maritum, rerum amotarum actionem instituere nequeat, conse-

consequenter nec is in ea actione jurare cogitur. Unde delatum sacramentum recusare prohibetur. *l. si. patronus 16. cum gloss. ff. h.* Eius quoque, cui exceptio non numeratae pecuniae objici amplius nequit, forsan elapso biennio, jusjurandum deferri nequit. *l. in contractibus 14. §. illo videlicet. C. de non numer. pecun. Videat. Novell. 136. cap. 6.*

§. 6. An verò & illa recusandi causa justa sit, si deferens in probatione omninò deficiat? Passus dubius est. Negant *Costal. ad l. 38. ff. h. & specul. de jurament. delat. num. 2.* tum quod actore non probante, reus, etsi nihil praestiterit, absolvi debeat, *l. qui accusare. 4. C. de edendo. cap. fin. §. sanè ext. h.* tum quod probationes non sint sumendae de domo rei. *l. nimis grave. 7. C. de testibus.* Atq; *l. manifesta. de jurejur. 38. ff. h.* intelligunt: si actor saltem aliquid, licet minus quàm semiple- nè, probarit, quod qualecunque indicium & praesumptionem pro eo faciat, unde litem movendi causam habuisse appareat. Verius tamen autoritate legum affirmo & imprimis *d. l. manifesta. 38. ff. h. l. delata 9. C. de reb. cred.* quae indistinctè loquuntur. *l. ult. §. 10. C. de jure delib. l. tutor 35. in pr. h.* ubi tutor omnibus probationibus aliis deficientibus, jusjurandum deferens audiendus est. *l. generaliter 12. in pr. C. de reb. cred.* in qua jusjurandum etiam in principio litis (quo certè tempore nondum est probatum) offerri posse dicitur. Et sanè, si quis, cum posset, jurare non vult, nec etiam sacramentum deferenti referre, manifestae confessionis redarguitur. *l. 38. ff. h.* unde apparet. actore etiam penitus probatione destituto, cum possit in propria causa sibi met esse testis, jusjurandum recusantem minimè esse audien- dum. *Cujac. l. 22. observ. 28. Wesenb. ff. h. num. 9. in pr. Iason. in l. 31. h. num. 71. & sequent.* Neque in contrarium adducta *l. 4. C. de edendo cum simil. adversatur, cum benè concedatur: Reum actore non probante absolvendum, absque eo, quod quidquam probet. Neque tamen deferri ei jusjurandum posse, negatur. Minus movet l. 7. C. de testib. cum nostro hoc casu probationes à reo non petantur, quin potius, ut d. in causa propria testis & Judex efficiatur. Fachin contr. Jur. lib. 1. cap. 19.*

§. 7. Sed nec illa sufficiens delatum jusjurandum recusandi causa est, si periculum subsit, ne perjurium detegatur (Putat si quis testes produxit, deinde adversario juramentum offerat) per generalem rationem. *l. manifesta 38. h. l. 9. C. de reb. cred.* Leges enim id praeci-

D 3

pere

pere, ut quis non falsum, sed verum juret, constat. Itaque si verum juraverit is, cui offertur jusjurandum, non est quod metuat, cum objectis testimonium depositionibus respondere possit, postquam juratum est, amplius, an debeat, quærendum non esse. *l. 5. §. 2. h. sed & ex testibus perjurij arguendus obijciat: nisi causam sacramento decidi placuisset, æquè se alias probationes producere potuisse. Cravetta in consil. 207. Mascard. de probat. volum. 2. conclus. 956. Fachin. d. lib. 1. c. 22. Treutl. l. c. lit. a. Sanè, cum Fachin. l. c. 20. Treutl. l. c. l. c. Thesaur. decis. 92. non video, cur à reo recusari possit jusjurandum delatum ab actore, qui intentionem suam legitimè probare conatus, non probavit. Tum propter generalitatem & rationem d. l. manifesta 38. ff. h. Tum quod fundamentum adversariorum, videlicet, Ripæ ad l. admonendum. 65. ff. h. Dec. in c. 2. de probat. Natta in consil. 35. quod desumunt ex l. 11. C. de reb. cred. quæ de alio planè casu concepta est, nullum sit.*

§. 8. Ex hoc juramento nascitur actio prætoriana in factum *l. 11. §. 1. de jurejur. ad similitudinem judicati. l. 8. C. de reb. cred. & opponitur actioni principali, qua principalis causa exercetur, nec tamen propterea anterior principalis actio tollitur sed integra manet. l. 30. pr. ff. h. Definiri potest quod sit actio prætoriana, personalis, qua agit is, qui postulante adversario suo in continente juravit, aliquid sibi deberi, vel rem suam esse.*

§. 9. Et notandum, quod juramentum hoc tam formiter, puta expressa causa, ex qua debeat, forte venditi onis, mutui, quam informiter præstetur, nulla videlicet certa debitionis causa adjecta: sed in genere, quia debeat. Quod si igitur in personalibus actionibus formiter juratum sit, non solum datur actio utilis ex eo contractu, ex quo, si esset verè probatus contractus, daretur actio directa. *l. si duo. 13. §. 3. & §. 4. ff. h. sed & in factum actio ex illo ipso facto, quo juratum est, descendit l. sed si 11. §. 1. ff. h. cum remedia prætoriana etiam in casu non necessario locum habere queant. §. 1. instit. de bon. poss. maximè cum in eo hæc actio utilis sit, quod juratum esse probari sufficiat. l. 5. §. h. Ex informi verò jurejurando cum contractus nullus sit expressus, ex quo aliàs oriretur actio. l. 14. §. 2. de except. rei jud. sola in factum actio competit. At in realibus actionibus, puta, si quis fundum esse suum juraverit, quam vis ante traditionem à condemnato factam & utilis in rem, & in factum ex jurejurando nascatur actio, inter forme tamen & informe juramentum distinctione opus*

ne opus non est, cum realium actionum unica sit causa proxima, dominium videlicet, quæ semper prolata intelligitur. Verùm personales actiones proximè infinitis penè modis causantur, uti ex mutuo empto, locato. v. d. l. 14. §. 2. de except. rei jud. Quod si jurans à rei sibi iam traditæ, nec dum tamè præscriptæ, possessione denuò ceciderit, eandem ubi ad deferentem jusjurandum eiusvè heredem redierit, publiciana actione repetere non prohibetur: secus si res sit penes alium quemcunque possessorem. per t. in l. eum qui §. si petenti ff. de publiciana. Deficiente tunc scilicet titulo conveniente. Cum enim iuramentum (ut & res iudicata l. sepe ff. de re jud.) personas litigantes non egrediatur, l. 3. §. penult. l. 9. §. fin. l. 10. ff. h. neque actiones inde descendentes ultra eas extendi necesse est. In publiciana igitur actione iuramentum & res iudicata respectu aliorum possessorum, quàm qui litigarunt, inconvenientes sunt tituli. Iason. in l. nam posteaquam 9. §. fin. h. licet ab hac sententia recedant Angel. & paul. de Castr. in d. §. fin. super verbo actio.

§. 10. Atque hæc ita potissimum in actore obtinent. Cæterùm si reus conditione sibi delatâ in personali actione se dare non oportere juraverit, cum actione opus non habeat, exceptionem acquirat, de qua l. 9. in pr. h. Quod si verò reali conventus actione petitor deferente jusjurandum subierit, rem eius non esse, quamdiu quidem possidet, adversus eum, qui jusjurandum detulit, si petat is, exceptione jurisjurandi utetur, si verò amiserit possessionem, actionem non habebit: ne quidem si is possideat qui ei iuramentum detulit, non enim rem suam esse juravit, sed eius non esse. Vnde non sequitur: jurasti fundum non esse petitoris: Er gò iurasti fundum esse tuum vlp. in l. sed etsi 11. in pr. ff. h. è diverso: si cum possideret, deferente petiore rem suam juravit, consequenter dicendum est, amissa quoque possessione, quam petitor nactus est, dandam ei actionem. d. l. 11. §. 1. sed si actio instituaturs adversus rei jurantis singularem in rem successorem, huic exceptio dabitur. l. 8. ff. h.

§. 11. Actio seu Exceptio aliter ex jurejurando non competit, nisi quis r. deferente adversario juraverit: §. item si quis postulante. instit. de act. neque enim quidquam ultroneum iuramentum, ad quod te sponte offers, proficit. Alioquin facillimus quisque ad jusjurandum decurrens, nemine sibi id deferente, omnibus actionibus sese liberabit. t. in l. 3. pr. ff. h. l. videamus 4. §. deferre. ff. de in litem jur. l. 23. de dol.

de dol. maximè, cum & aliàs suspectus fiat, qui se ultro ingerit. *arg. l. 25. §. 1. de procur. 2.* Nisi de facto juraverit, (quod postmodū probari debet, cum facta non præsumantur) aut adversarius jurare parato jurisjurandi remissione, ut solent boni viri, gratiam fecerit, suscepti juramenti voluntate contentus. *l. 9. §. 1. remitti 6. l. non erit 5. §. fin. h.* si tamen, cum delatum jusiurandum non suscepisset, postea parato jurare adversarius amplius nolit id deferre, non videtur id remissum: nam quod susceptum est, remitti debet. *d. l. 6. §. quod si ff. h.* neque tamen interest, præsentem, an absentem, etiam ignorantem, per Epistolam forte, aut nuncium, juramentum remittatur: id enim omnibus his modis licere Labeo respondit. *l. 41 ff. h.*

§. 12, Sane pupillus jurijurando remittendo impar est. *l. 22.* quamquã Princeps subinde iustâ de causâ, ut si quis jurasset, se ordini non interfuturum & postea duumvir creatus esset, iuramentum possit remittere. *l. fin. in princ. ff. ad municipalem.* Sed & Pontifex ei, qui ad suscipiendum cardinalatum iureiurando se obstrinxerat, sacramenti remissione gratiam fecisse fertur. Idem profectò etiam est, ac si iuratum esset, si deferens relatum sibi, aut calumniæ prius iusiurandum subire recuset. Quemadmodum &, si is cui delatum est, id ipsum præstare aut referre non vult. Utroque enim modo actionem & exceptionem prætor largitur. *l. 34. §. ait Prætor. 6. h. l. delata. 9. l. 12. §. 1. C. de reb. cred. nisi quis iustam recusandi causam alleget. de quo sup. th. 1. cum seqq.*

§. 13. Quoad effectum hunc agendi & recipiendi. 3. requiritur, ut in continenti. *l. 5. §. ff. h.* antequam partes ad alios actus divergant. *gl. in l. jurisgentium 7. §. 5. de pactis.* ad delationem partis & Judicis approbationem iuratum sit: nisi forte probabilem dubitandi causam habens, spacium deliberandi, quod impetrare debet, *arg. l. qui interrogatus 5. cum l. seq. ff. de interrog. petat.* Sed hac in re benè observanda Bartoli cautela in *d. l. non erit 5. in fine. ff. h.* ut quis non obstante eo, quod deliberationi s tempus petierit, nihilominus insuper delatum jusiurandum statim acceptet, adempturus exinde deferenti pœnitendi facultatem, quam ante actualem jurationem aliàs haberet, si simplex deliberandi spacium citra acceptationem iurandi petita fuisset. Et quantumvis. *Oldendorpius in praxi hujus actionis* cautelam hanc cum veterū iurisperitorum Responsis è diametro pugnare graviter ostendere videatur, quasi delatam iurandi condi-

conditionē salvā deliberatione suscipiens, ita de exceptione suā dubitando peieraturus esset. Tamen hoc vix dici potest, cum ideo salvā deliberatione iuramentum suscipiatur, ut quis interim veritatem rei in memoriā reducat, animo secum vovens, num a bsque animæ periculo iurare, nec ne, queat. Tantum igitur abest, ut hæc Bartoli cautela periurio ansam præbeat, ut potius ad id ipsum evitandum pro remedio haberi, debeat *hac de re Mynsing. Institut. de action. §. item si quis postul. num. 20.*

§. 14. 4. Ut ex jurejurando actio & exceptio competat, eum qui ad id habilis est, detulisse oportet, unde non audiuntur Prodigus, furiosus, pupillus, quia rerum suarum administrationem non habent. Nisi tutore authore sacramenti facta fuerit delatio. *qua de re vide supr. §. 6.* Sanè etiam si minor 25. annis, posteaquam iuramentum detulisset, circumscriptum se doceat, pristinam actionem instituens exceptionem juriurandi à reo opponendam replicatione elidat, aut potius per prætorem causā cognitā in integrum restituatur. Quæ tamen cognitio vel replicatio statutum (quadriennii completi. *l. 7. C. de tempor. in integr. l. 4. C. de in integr. rest. min. Novell. 155. c. 1.*) tempus post annum 25. non egrediatur. *l. 9. §. si minor. 4. ff. h.* Non incommodè & illud hîc asseritur, juriurandum in fraudem creditorū deferre debitori suo non licere, & si juratum sit, agentibus creditoribus adversus exceptionem concedi. Quemadmodum nec ei, qui creditor non est, in fraudem veri creditoris deferre Sacramentum debitor potest, ob idem replicationis, aut si juras agat, exceptionis beneficium. *l. 9. §. 5. h.*

§. 15. 5. Specialiter & solenniter, ut delatum est, juratum esse oportet. Vnde si ego detuli, ut per Deum jurares, tu verò per caput tuū vel filiorum tuorum jurasti, non censebitur esse juratum. *l. 3. in fin. l. 4. l. 5. h.* dummodò sit modus licitus. *l. ff. h.* Nam si quis illicitum jusjurandum detulerit, puta improbatæ publicæ Religionis, hoc ratum non est. *d. l. 5. §. sed si quis ff. h.* Quod si de qualitate juramenti inter partes fuerit dubitatum, conceptio eius in arbitrio judicantis est. *l. 34. §. 5. h.* Sed & si non tale iuramentum referatur, quale deferatur referens proposita exceptione non adiuvatur, non magis quam si quis ei, qui furti agat, jusjurandum referat, an ipse fur sit? *l. non magis 12. ff. de act. rer. amot.* Exceptio autem, quæ principali actioni, in qua juratum est, obstat, etiam actioni ex jureiurando institutæ obstat

E

bit

bit. Ideoque si juraverō usum fructum alicuius rei, vel meum esse, vel mihi dari oportere: eatenus mihi competit actio, quatenus si verè usum fructum haberem, duraret, quibus verò casibus amitteretur, non competit mihi actio. *l. ii. §. 2. h.* Unde non aliter mihi actio jurisjurandi danda, quam si caveam, boni viri arbitrato me usurum, & finito usu fructu rem restitutum *l. 30. §. fin. ff. h.* Item si quis juraverit ob decem pignori dedisse fundum: non aliter pignoratitia agere poterit, quam si decem solverit. *l. si duos §. marcellus ff. h.* Planè temporis præscriptio, quæ principali actioni obstat, actioni ex jurejurando non obstabit, quia juramentum vim habet litis contestatae. *l. 28. §. ex quibus. ff. de judiciis.* Ideò perpetuat actionem, ubicunque per litis contestationem perpetuaretur. *l. 9. §. si is qui §. h.*

§. 16. Planè ad jurandum in judicio evocatus ipse comparere debet. *arg. l. 15. h. Novell. 124. cap. 1.* nisi necessitate prohibeatur. *arg. l. 2. §. 2. & 3. ff. si quis. caut. l. 8. de testibus.* Vel veniendi necessitas jure remittatur, ut Episcopis. *Novell. 123. cap. 7.* aut aliàs dignitate præditis, valetudinariis. *d. l. 15. h. mulieri. arg. l. 21. C. de procur. l. 1. C. de off. divers. jud. Novell. 124. cap. 1.* Quod si persona præsens non inveniatur, cui Sacramentum delatum est, lite forte per procuratorem ventilatà, necessum est, ipsum principalem dato comparandi termino ad judicem venire: vel (si Judex existimaverit) in provincia, ubi degit, sub actorum testificatione ab eo jusiurandum præstari, vel referri, aut recusari. Licentiã dandã, parti alteri, vel per se, vel per procuratorem ad hoc ordinatum adesse his, quæ de juramento aguntur. *t. in l. 12. §. 4. C. de reb. cred. Novell. 124. cap. 1.*

§. 17. Ceterùm actionem hanc & exceptionem oriri ex juramento voluntario seu conventionali, extra dubium est. An verò illa ipsa etiam ex judiciali nascatur? affirmo, tum per *l. actori 8. C. de reb. cred.* ubi actori hæc actio competit, sive delatum sibi sacramentum præstiterit, sive quod autem ipse detulerat, relatum subierit, cum tamen voluntarium jusiurandum referri nequeat. *l. 17. in pr. ff. de jurejur.* tum per *d. l. 8. verbo. actori*, quod ex agente in judicio intelligendum est. Sanè ex necessario jurejurando actio hæc non oritur, ideò tantum deferatur, ut suppleatur probatio, & inde feratur sententia: ideò ultra hanc intentionem non debet operari, præsertim cum ex probationibus non oriantur actiones.

§. 18. Illud satis non constat, num sententia hoc in jurejurando

rando opus sit? qua in re sciendum, reum cui ab actore defertur iuramentum, invitū illud subire non cogi, nisi Judicis præcedat sententia, qua delationem talem approbet. Vnde communiter talis interlocutoria ferri solet. Diemeil Beklagter die Klage verneinet/ vnd Kläger ihm dieselbige / in sein Gewissen vnd Wissenschaft geschoben hatt/so hatt Beklagter dasselbige darauff zueröffnen/vñ ist der auffgelegten Ende zuleisten schuldig. Quod si autem nunc juratum sit, an nihilominus de jure civili sententiam definitivam sequi necesse sit? Quod negat Wesenb. *τ. ff. de jurejur. num. 9. in fine.* à cuius tamen opinione cum Treutl. *l. 21. 9. recedo per l. 14. in pr. ff. de judic. & l. 34. §. fin. ff. de jurejur. ubi Vlpian. Ictus, cum res, inquit, in iusiurandum demissa sit: Iudex jurantem absolvit: referentem audiet: & si actor juret, condemnet reum, si solvat, absolvit: non solventem condemnat ex claratione, non jurante actore absolvit reum.* Quamvis igitur, postquam juratum est, actio & exceptio ex eiusmodi iureiurando oriatur. *l. 9. pr. & §. 1. ff. de jurejur.* Et nihil amplius post iusiurandum quærat. *l. 5. §. dato. ff. ff. eod.* non tamen executio fieri potest absque eo, quod sententia definitiva præcesserit. Neque autumo actionem hanc propterea cum iudicati confundi.

§. 19. Competit hæc actio. 1. Ei, qui ad delationem adversarii legitimè iuravit, de quo sup. §. 13. Etiam mulieri & pupillo & sic quoad commodum iurantem non distinguitur, cuius sexus vel ætatis sit iurans. *l. 26. ff. de jurejur.* 2. Patri & Domino ex iuramento super re peculiari à servo & filiofamiliâs præstito. *l. 23. cum sequent. ff. eod.* 3. Domino ex iureiurando sui Procuratoris, vel etiam defensoris. *l. 9. §. iusiurandum. ff. eod. de quo sup. §. 6.* 4. Ei cui parato iurare iusiurandum omissum est. 5. etiam hæredibus iurantem. *d. l. 9. §. jurejur. ff. eod.* 6. Ei cuius adversarius sive delatum sive relatum sacramentum præstare sine iusta causa recusavit. *l. 34. §. ait prætor. ibi: datur autem. ff. de reb. cred. l. 12. §. sed juram. ibi: necessitate impon. C. de reb. cred. 7. fideiussori, si iuravit reus. l. 28. §. 1. l. ult. §. fin. ff. de jurejur.* nisi de exceptione aliqua sit iuratum, quæ, si vera esset, reo solum, non item fideiussori prodesset: qualis est, si pupillus mutuum sine tutoris autoritate accepisset: hoc enim casu debitoris iusiurandum fideiussori non prodest. *l. ultim. in pr. ff. eod.* in dubio tamen debitor de ipso potius contractu quam de huiusmodi personali actione iurasse præsumitur, ut fideiussori quoque iusiurandum proffit. *d. l. fin. vers. fin autem liqui-*

dd. §. Reo, si fideiussor de re iuravit, non de persona: puta quod non fideiussor. l. 28. §. 1. l. fin. §. 2. ff. de iurejur. l. 1. §. 3. ff. quarum rer. actio.) si pater iuravit filium dare non oportere, utrique datur actio. l. 26. §. 1. ff. de iurejur. 10. Alteri reo promittendi, si alter iuravit. l. 28. §. 3. ff. eod.

§. 20. Datur contra eum, qui detulit iusjurandum tam in personalibus, quam realibus actionibus. 2. contra successorem deferentis sive universalem, sive habentem causam ab eo, quam acquisivit post delationem iuramenti. Non verò contra tertium possessorem non habentem causam à deferente, l. 9. §. fin. ff. de iurejur. 3. contra patrem & dominum de peculio, si iuratum sit ex delatione filii aut servi. 4. Contra servum deferentis vel reum stipulandi, etsi non jurantem. l. 28. ff. eod. 5. Contra dominum ex iuramento procuratoris, qui facultatem iurandi habuit. l. 18. ff. eod. 6. Contra remittentem & eum, qui de calumnia vel ex relatione iurare noluit. l. 9. §. 1. ff. eod. l. 9. C. de reb. cred. 7. Contra pupillum, si tutore auctore iusjurandum detulerit. l. 17. §. 1. ff. eod. 8. Contra minorem si circumventus non sit. l. 9. §. 4. ff. eod.

§. 21. Porro in hanc actionem venit id quod & in actionem principalem, de qua iusjurandum præstitum est. proinde si in actione reali rem meam esse iuravi, placuit, eam mihi unà cum fructibus post iuramentum ex re perceptis, Colleg. Jurid. Argent. ff. de iurejur. thés. 30. cæterisque accessionibus, parti edito, foetuque priorem restituendum esse, l. 11. §. 1. & fin. ff. eod. sic etiam qui iuravit, me ei vendidisse rem 100. Ex empto agere poterit, ut ei cætera præstentur, id est, ut ei res tradatur, & de evictione caveatur. l. 13. §. si quis 3. ff. eod. At si iuret in actione, quæ inficiando crescit in duplum, ut est actio legis Aquiliæ, §. sed & legis Aquilia Infit. de action. non dupli, sed simpli duntaxat persecutio est. Abundè enim sufficit, exonerare petitorum probandi necessitate, cum omissa hac actione dupli actio integra manet, nec hoc iudicio principalis causa exerceatur, sed iusjurandum actoris conservetur. l. 30. in princ. ff. de iurejur. Quin si res ex causa furtiva vel mora interierit, etiam eius æstimatio hac actione peti potest. d. l. 30. §. 1.

§. 22. Juranti igitur debitori, se nihil debere, non solum exceptio competit, sed etiam actio pigneratitia & indebiti condictio. Nam hoc iusjurandum efficit, ut pignus liberetur. Est enim acceptila-

179
ptilationi similis, & perpetuam exceptionem parit. Idcirco pœnam
quoque petentem creditorem exceptione submoveri oportet, &
solutum repeti potest. Utpote cum interposito eo ab omni contro-
versia discedatur. l. 40. ff. de jure jur. Atque hîc non tam finio,
quàm dissertationis huius filum abrumpo, omnesque
bonos, ut mihi faveant & ignoscant, obser-
vanter rogo.

DEO Trinuno sit laus, honor & gloria,
in sempiterna secula.



E 3

Præ-



*Præstantissimo ac Doctissimo Domino
Dissertationis huius Propugnatori*

JOHANNI MICHAELI SONNERO

Anagramma

EN: ANNILI MICAS HONORE. JO!

Q *Vidjurare doces? rem non satis undiq; censēs
Vulgarem? cur, quod quisq; scit ante, refers?*

Jurant. Blasphemant. Maledicunt. Convitiantur.

Hæc mala si tradas, qui bonus esse potes?

Sic jocor. At JVS Jurandum te tradere cerno;

Sumere cui vulgus mixta priora solet.

Hoc benè discernens exponis & arte tueris:

Cumq; bonum tradas, qui malus esse potes?

Judiciumq; senis tua dum constantior æquat

Mens; EN JO! ANNILI dignus HONORE. MICAS.

Ergò tibi nequeunt virtutis præmia tolli,

L. & virtutum, C. de statuis,

*Hæc ita pridem contracta familiaritatis
& abituro in Gallias recordationis
gratiâ calamo, plura animo apre-
cans gratulabund. scripsit*

**Joannes Henricus de & in El-
senheim, Wolzach, Nanhoven
& Hamppersperg.**

Ad

Ad eximium Dn. M. de furejurando

150.

Disputantem.

SI testibus, probationibus, satis
Aperta veritas potest non erui,
Oportet & penuria horum quem pati
Injuriam; nisi velit jurare per
DEUM; quod emplastrum est, ope cuius solet,
Egentibus juris ferendâ consuli.
Et hoc Sacramentum facit, quo veritas
Tui Talenti conditi præluceat.

gratulab. scrib.

Joh. Ulricus Meyger.

Ad Eximium solidioreg, literatura instructissimum Dn. M.

*Sonner. hunc suæ eruditionis partum publico
omnium conspectui ferentem.*

Sicut ab obscuris visu dignoscere pulchra
Sole repercussum lucis faciente docemur:
Sic jusjurandum justis injusta revelli,
Linea dum veri nebulis obducta dolosis
Cernitur, & lites validâ sopire medelâ
Monstrat. Et is modus est, quo Te, doctissime Sonner
Edere præclarum specimen Tua Fata jubebant,
Nempe novum solis quo nomen & omen haberes,
Te juramento Themidi, quod nuda voluntas
Persicit, obstrictum reddens exponere totum
Hanc juris partem generosa mente volebas;
Tempore sed rapido mox isthac ausa vetante,
Iurisjurandi, quod dicunt esse nec ossum
Ut fiat per vincla fide robusta ligatâ,
Hanc unam litis docta depingere pennâ
Ultricem contentus, eos, qui gesta videbunt,
Iudiciale mones animo jurare benigno.

Ad syncerum animi affectum ex-
plicandum gratulabundus hanc
adiocere volui tesseram

Joh. Jac. Bentz.

Abhandlung von dem Nutzen der
Kunst der Buchdruckerei

Die Kunst der Buchdruckerei ist eine
der ältesten und nützlichsten
Künste, die wir haben. Sie hat
nicht nur die Wissenschaften
verbreitet, sondern auch die
Kunst der Schrift verbessert.
Durch sie sind die Bücher
billiger und leichter zu
haben, als sonst. Sie hat
auch die Kunst der
Buchbindung verbessert.
Die Kunst der Buchdruckerei
ist eine der nützlichsten
Künste, die wir haben.
Sie hat nicht nur die
Wissenschaften verbreitet,
sondern auch die Kunst
der Schrift verbessert.
Durch sie sind die Bücher
billiger und leichter zu
haben, als sonst. Sie hat
auch die Kunst der
Buchbindung verbessert.
Die Kunst der Buchdruckerei
ist eine der nützlichsten
Künste, die wir haben.

Abhandlung von dem Nutzen der
Kunst der Buchdruckerei
Joh. Jac. Bernh.



X 2615944

WOM







TUM SIT: 129
 YRIDICA
 1647 2.
 ANDO, 8
 E, TUM
 E, 2010
 J. J. P. XV
 SORIO:
 O. M.
 tissimo
 AN, U. J. D.
 um Universitate
 eFacultatis Juri-
 mo,
 subjicit
 L SONNER
 us,
 ruarii.
 ATI
 S POOR.
 VII,

